НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

Rubr. 7 fol. 62 v. Capitula Securitatis
545.50 fol. 60.
fol 60

Iste Liber continet
Capitula Antiqua Almæ Rotæ Lucanæ
nec non
Capitula Recentiora eiusdem Rotæ
Ac
Leges antiquas suæ Celsitudinis
fol. 245.
Ac Statuta pera portantia
aurum fol. 289.
Et Bodinus Decanus Salis
fol. 295.
Et Capitula Baroncelli Lucensis
fol. 303.
Ac Leges aduocatos Absentes
Archiepiscopis fol. 309.
Omnibus Utilis et Necessarius est.
Cum quia plures suis consulti Benemeriti de Iurisprudentia Lucenses multos libros ediderunt
in quibus fœcunter cetant dicta capitula
præcipuè antiqua almæ Rotæ almodo Rava etiam
in Ciuitate Lucana, nec non dictas leges, et
et quas congruum est Libros perpetuis
et recognoscere. Est necessarius omnino
est Iudicibus Rotæ, et Patribus dictæ Ciuitatis
maxime quia fœcundissimo in via sunt Capitulis nouis Almæ Rotæ detectis fuit diligenter
sunt eis inueniunt. plures Ordinationes decreta
necessaria non impressa

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

L'Ecc.mo Cons.o Stato di Lucca fece Decreto sopra
Die 29. Maij 1582. fuit facta relatio Spectabilis
Civis Salvetti ad videndum et examinandum supli-
cationem Nob.mi Antonij, Pauli et Laurentij, ac Nob.mi
Thomæ Antonij Nobilium de Sandis petentium restitui
ad primam Civilitatem huius Reipublicæ, attento quod
eorum Ascendentes nati sunt in hac Civitate, et
fuit decretum quod audiantur dicti
Nob.mi Antonius, et Thomas Antonius, ac Paulus, et
Laurentius supplicantes intelligatur, et sint restitu-
ti, et restituti in primum statum Civilitatis eorum
Posteritatis, et in futurum sint, et esse debeant sicut
Cives originarios nostræ Civitatis, gaudentque, et
fruantur et gaudeant, et fruantur omnibus
Privilegijs, Honoribus, et Immunitatibus, quibus fruuntur
et gaudent Cives originarij de Civitate, Honoribus
ibi quibuscumque conferendis, et disponendis; quibus
gratiis uti dignatus usque intelligatur. Et sic fuit
Da Raffaella Sarti nel suo Libro della Città di Genova
e Nob.mi Alonzi Thomæ Antonij Sood. protonotarij Spectabilis
Mag.tus. ll.

Anno 1168. i Lucchesi ad instanza de Genovesi ed aiutati
da loro assalirono i Pisani comuni nemici, ed assedia-
rono Mozzano nel territorio di Pisa, e v'ebbero una
grossa battaglia, e fecero crudele battaglia con Pisani.
quali in gran numero v'erano concorsi a difendere
detto luogo, ma ne rimasero disfatti restando vincitori
li Lucchesi, i quali fecero Genovesi Pisani prigioni
con molti altri Nobili, e Soldati Pisani, che
furono
Lamberto Maggio, Ildebrando Guelandi
Bulgarino Cajetano — Corvio Bavastello —
Guinisello, e Roberto Sisdevi, Sulino Baldinotti —
Sulino Pisana, Lazzaro, e Lanberto Battigliani
con gran numero di altri Pisani. Furono menati a Lucca il 10 — e da
in detto anno presero Genovesi Lucchesi, e Genovesi
Genovesi l'anno 1169. mandorno cinquecento guerrieri
in soccorso de Lucchesi contro Pisani così
il Tronci Ann. n. 15.

Nello stesso Anno Anselmo Savello Genovese
con otto Galee ben armate, cariche di gente i
soldati in terra, e marinari con molti inventori
bili vinse l'esercito Pisano nemico, preso in un

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

M. S. Cicero lib. 13. epist. 13 commendat
Brutio Lucceium Castronium & eum Municipij
Lucensis potentiae, virum honestum, grauem, plenum
officij, et plane bonum, et [illegible] virtutis, et fortunae
conspicuae, & familiarissimum sui
ac domo Castronia venit Cithadela, qui
et Castronius se subscribit

La Contessa Matilda predandone li Lucchesi
gia sepolta nella loro Città a giunsto
consolarice Matilda nella Città di
Pascale Secondo

Antiqua

CAPITVLA
MAG. DOMINI
PRÆTORIS
ET DD. IVDICVM
ROTÆ
Lucensis Ciuitatis,
REFORMATA.

Anni 1577



LVCÆ.
Apud Vincen. Busdraeum
M D LXXVII.

Bellorij V. Joa. Baptistæ Liberij I. C.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

Cæsar et Pompejus fuerunt Lucæ ut dixit Cicero lib. 1. Qus. Fol. famil. 9.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМЕНІ І. МЕЧНИКОВА

БИБЛІОТЕКА НОВОРОС. УНИВЕРСИТЕТА
155
545

CVM in ijs, quæ superioribus annis constitutiones factæ sunt, quas Capitula Rotæ vocant, Mag. D. Prætori MM. DD. Iudicibus Rotæ, & omnibus, qui forenses iudicialesq; causas ad eorum tribunalia tractant, seruandæ, multa malitiosè, multa fortasse iure reprehenderentur, vt omnis calumnia corcëretur, Senatus censuit, vt duodecim Ciues ab illust. DD. A A. electi, in melius constitutiones præfatas reformarent. Hiq; ,diligentißimè consideratis omnibus, has ipsas post longam discussionem sanxerunt, imprimiq; mandauerunt: Quas vt Senatus probauit, & confirmauit, ita omnes integerrimè incorrupteq; custodiunto, si quos minus studium obedientiæ, & officij sui partes mouerint, diuinæ, humanæq; pœnæ metus deterreat. Has autem ipsas succeßiuis temporibus a calendis Septembris 1577. quod ad laudem omnipotentis Dei, & ad tranquillum, & pacificum statum sit Reipub. Lucensis, obseruanto, ita enim Senatus consulto cautum est.

INDEX CAPITVLORVM.

De modo & forma eligendi Mag. Dominum Prætorem, & Magnificos Dominos Iudices Rotæ Cap. 1. fol. 5.
De qualitatibus ipsorum officialium cap. 2. 5.
Qualiter, & quando Iudices prædicti debeant acceptare, venire, vel discedere cap. 3. 5.
De iuramento, & alijs per prædictos Iudices præstandis in principio officij cap. 4. 6.
De extraordinarijs oneribus Iudicum cap. 5. 6.
Quod acta intelligantur facta nomine officij, & non personæ cap. 6. 6.
Iudices non possint consulere, aduocare, aut compromissa acceptare cap. 7. 7.
Iudices teneantur acceptare causas, quæ eis delegarentur. cap. 8. 7
Quod Officiales non recipiant commendationes, & de audientia præstanda cap. 9. 7.
De iurisdictione, salario, & oneribus Mag. Domini Prætoris cap. 10. 8.
De fideiussoribus condemnatorum transmittendis ad Archiuium, & mercede eorum capturæ cap. 11. 9.
De officio Mag. D. Prætoris circa damna data cap. 12. 9.
Quòd teneatur consiliũ dare quibusdam officialib. cap. 13. 9.
Inhibitoriæ Mag. Dominorum Antianorum quatenus suspendant instantiã, seu processum Mag. Domini Prætoris cap. 14. 9.
De officio Notarij Mag. D. Prætoris, & curiæ maleficiorum cap. 15. 10.
De mercede Notarij curiæ maleficiorum cap. 16. 12.
De mercede, & oneribus Notariorum curiæ damnorum datorum cap. 17. 12.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

De oneribus, & mercedibus fiscalium cap. 18. 12.
De officio Mag. D. Prætoris, si vulnera per Chyrurgos denuntiata sint cap. 19. 13.
De captura delinquentium & præmio cap. 20. 14.
Quòd post lapsum primi banni causæ expediantur cap. 21. 14.
De salario Dominorum Iudicum Rotæ cap. 22. 15.
De officio D. Auditoris Rotæ, & Iudicis primarum instantiarum causarum ciuilium cap. 23. 15.
De particularibus officijs Mag. Dominorū Iudicū Rotæ appellationum, & pri. de officio Syndici cap. 24. 15.
De officio Consultoris cap. 25. 15.
De officio Iudicis viduarum, & pupillorū. cap. 26. 17.
Qualiter officia inter Mag. DD. Iudices Rotæ appellationum deuoluantur cap. 27. 17.
Qui subrogentur loco impeditorum cap. 28. 17.
De cōmuni officio D D. Iudicū Rotæ appellationū. cap. 29. 18.
De appellationibus a sententijs super competentia, & a sententijs syndici &c. cap. 30. 20.
De recursu ab interlocutorijs cap. 31. 21.
De ordine & modo seruando ad bancum curiarum per DD. Iudices Rotæ, Notarios & causidicos cap. 32. 22.
De tempore & loco, quibus MM. DD. Iudices Rotæ sedere teneantur cap. 33. 23.
Quod actor, qui fecit causam minorem non appellet. cap. 34. 24.
De modo & forma producendi, & admittēdi cap. & contra ipsa opponendi cap. 35. 25.
Quod examē describi nō possit, nisi per Nota. causæ. cap. 36. 26.
De Copistis. cap. 37. 26.
De Testium iuramento, & quid Notarius facere teneatur. cap. 38. 26.
De Mercede Notarij pro examine cap. 39. 27.
Qualiter stilus, pratica, consuetudo sit probanda. cap. 40. 28.
De modo probandi ætatem per librum baptismatis. cap. 41. 28.
Qualiter, & quando mandata, & alia instrumenta producenda sint cap. 42. 28.
De pœnis quibusdam parti applicandis, & de cap. ad excitandam cap. 43. 29.

De pœnis

De pœnis Iudicum propter ommissiones cap. 44. 29.
De inhibitorijs nō concedēdis sine causæ cognitione. cap. 45. 29.
Iudices teneantur dare dubia. cap. 46. 29.
Quòd oēs Iudices teneantur sententiare, & qualiter. cap. 47. 30.
Sententiā diffinitiuā quot Iudices possint proferre. cap. 48. 31.
Quòd Iudices iurare nequeant de causa nō liquere. cap. 49. 31.
Mag. D. D. Iudices Rotæ decisiones exhibeant. cap. 50. 32.
De termino instantiæ causarum ordinariarum cap. 51. 32.
De instantia appellationis ab interlocutorijs habentibus vim diffinitiuæ cap. 52. 32.
De instantia executiuarum cap. 53. 33.
Quando, & ex quibus instantia suspendatur cap. 54. 33.
De executione sententiarum cap. 55. 34.
De Compromissis cap. 56. 35.
De petendo sententiam arbitralem redigi ad arbitrium boni viri cap. 57. 38.
Mag. Domini Iudices finito officio in palatio non habitent. cap. 58. 40.
Curiæ non sedeant tempore sindicatus cap. 59. 40.
De Sindicatibus, & de Aduocatis, & Procuratorib. eligendis. cap. 60. 40.
De modo Sindicandi. cap. 61. 41.

FINIS.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

QVOD FOELIX

FAVSTVMQV'E SIT REIPVB.

LVCENSI.

De modo & forma eligendi Magnificum Dominum Prætorem, & Magnificos Dominos Iudices Rotæ Cap. 1.

MAG. D. Prætoris, & Dominorum Iudicum Rotæ electio fiat modo & forma prout per decreta disposítum est, qui DD. Iudices Rotæ debeant esse quatuor, quorum nomina acceptato officio debeant imbusilari, & sorte extrahi, cuius nomen Primò fuerit extractum sit Sindicus, & primus in Rota præheminentia, & dignitate: Secundò Consultor: Tertiò Iudex viduarum; & per vices inter se reuoluantur, vt infra in cap. 27. & etiam tres prædicti sint Iudices appellationũ pro duobus annis: Quartò autem sit Iudex primarum instantiarum causarũ ciuilium pro dicto tempore annorum duorum, & prædicti omnes nomine, & dignitate præcedant ordine suprascripto, & intelligantur, & sint, & nuncupentur omnes generali nomine Iudices Rotæ, particulari verò vt suprà, & prædictum officium tam dicti D. Prætoris, quam prædictorum Dominorum Iudicum Rotæ duret annis duobus continuis incipiendis in Kalendis Septembris saluo si aliter videretur Mag. & generali Consilio, eo casu, quo omnes vel aliquis ex eis se bene non gereret, nec posit d. tempus etiam respectu alicuius ex eis augeri, suspendi, aut

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

prorogari: Debeatq; vacare quilibet eorum ab eius officio, & a quocunque alio Lucen. ciuitatis per annos quatuor a die depositi officii, & quod secus fieret intelligatur ipso iure nullum.

De qualitatibus ipsorum Officialium Cap. 2.

OMnes Iur.vt.Doct. esse debeant doctorati in collegio publico saltem per annos octo ante eorum electionē, & ex diuersis locis, a Ciuitate Lucensi per quinquaginta miliaria distantibus orti, & ætatis ad minus annorum xxx. expletorum, & eligendi ad officium Prætura non admittantur, nisi vltra prædicta exercuerint officia criminalia in alia Ciuitate: Qui omnes suprascripti habitare debeant in Palatio consueto eorum residentiæ.

Qualiter, & quando Iudices prædicti debeant acceptare, venire, vel discedere Cap. 3.

ELectionem infra biduum a die præsentationis per publicum instrumentum, acceptare debeant, & in ipso ætatis, & doctoratus in vtroque iure in publico collegio iuramentum interponere, ac per pactum expressum repræsaliis renunciare specificè promittendo, quod neque ipsi, neque aliquis eorum officialis, aut de eorum familia per se, vel per alios, sub pœna scutorum quingentorum pro quolibet contraueniente applicanda Mag. Lucensi communi, vllo vnquā tempore, quouis quæsito colore, vel causa petent, aut impetrabunt repræsalias aliquas cuiuscunq; generis, tam contra dictum Mag. Commune Lucense, quā contra Ciuitatis Lucen. ciues, habitatores, incolas, aut districtuales, etiam si ipsis, aut alicui eorum in Ciuitate; & Dominio Lucensi iniuriam, aut iniustitiam factā fuisse prætenderēt, ac etiam quòd repræsaliis prædictis quomodocunque, & qualitercunque concessis, aut earū beneficio non vtentur, nec ius aliquod ex eis, aut earum occasione quæsitum allegabunt, & in ipso Instrumēto acceptationis expressè

expressè ad sancta Dei euangelia iurare teneantur, omnia & singula in præsenti capitulo contenta obseruare, de qua promissione, ac renunciatione cum iuramento debeat cōfici per Notarium instrumentum publicum, & in acceptationis instrumento inseri, cum obligatione in pleniori forma cameræ Apostolicæ.

Debeant autem ad exercendum officium venisse saltem per biduum ante eius initium, & in ciuitate Lucensi toto eorum officii tempore manere, & ex ea seu eius territorio non discedere, durante eorum officio, & spatio decem dierum, eo finito si successores intra tempus prædictum non venissent, sub pœna scutorum ducentum vt supra.

Nec magnifici Domini Antiani eis possint licentiam concedere, nisi vna vice tātum cuilibet eorum in termino eius officii, & solum pro quindecim diebus, præterea vero, seu pro maiori tempore licentia, intelligatur reseruata Magnifico generali Consilio, & hæc firmis manentibus, quæ circa sindicatum disponuntur, ac etiam non derogando statuto, quo disponitur, quod spectare possint successorem per mensem, & salarium consequantur pro tempore, quo expectauerint, & pro tempore dictæ licentiæ salarium non ammittant.

Sed quandocunque discedant tàm durante officio, & de licentia prædicta, seu etiam de licentia magnifici generalis Consilii, quàm officio finito, aut sine licentia discedant, & discedere, aut proficisci intelligantur, omni eorum periculo, & casu, tàm bonorum, & rerum quàm personarum.

Et casu quo acceptatio, vt superius dictum est non fuerit præcisè facta electio, euanescat, & nullum amplius effectum sortiatur, & eligatur alius, qui in locum non acceptantis succedat.

Et qui acceptauerit, & ad exercendum officium tempore constituto non venerit, ad aliquod officium in ciuitate Lucen. nullo vnquam tempore admittatur, & super

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

hoc dispensatio peti nequeat, ac etiam incurrat pœnam scutorum quingentorum, in quam describi debeat condemnatus per Cancellarios in cancellaria intra quindecim dies a die, qua officium inchoare debuisset, & pro sic condemnato ad Archiuum transmitti, & eligatur alius quàm primùm, & sic successiue procedatur donec electio sortiatur effectum.

De Iuramento, & alijs per prædictos Iudices præstandis in principio officij, Cap. 4.

IN principio eorum officii, antequàm illud exercere incipiant, corporale iuramentum in manibus mag. Vexiliferi Iustitiæ coram Mag. Dominis Antianis præsent. & iure iurando promittant obseruare ad vnguem capitula præsentia, & omnia statuta, ac decreta Lucensis ciuitatis tàm edita quàm edenda, & tam facta quàm quæ fieri in futurum contigeret; Iustitiamq; æqua lance omnibus ministrare, prout ad cuiusque eorum officium pertinebit.

Et Instrumentum doctoratus, siue transumptum publicum, ac authenticum vnà cum instrumento acceptationis Mag. Dominis prædictis exhibeant, quod instrumentum debeat per cancellarios conseruari, & registrari in libro ad id deputato in cancellaria.

De Extraordinarijs oneribus iudicum Cap. 5.

MAg. D. Prætor, & Mag. DD. Iudices Rotæ teneantur associare Mag. Dominos Antianos semper, & vbi visum fuerit, & cum illis interesse ad ipsorum requisitionem, & præcipuè in extractione Mag. DD. successorum, ac interuenire debeant in quibuscunque examinibus per ipsos Mag. Dominos Antianos fiendis, in quibus omnes aut aliquis eorum vocaretur.

Quod acta intelligãtur facta nomine officij, & nõ personæ, Cap. 6.

DElegationes, commissiones, & sententiæ omnium, & quorumcunque iudicum Ciuitatis, & territorii Lucensis

censis, & cuiuslibet eorum, & acta facta coram eis, & quolibet eorum factæ, & latæ, ac facta & commissa intelligantur, nomine & ratione officii, & non personæ, ita quod successor in officio respectiuè succedat in omnibus & per omnia, & in omnibus casibus & rebus per eum cui succederet tractandis.

Iudices non possint consulere, aduocare, aut compromissa acceptare, Cap. 7.

NOn possit Mag. Dominus Prætor, nec Iudices præfati, aut aliquis eorum consulere, seu aduocare verbo, vel in scriptis, aut consiliis aliorum se subscribere in quauis causa, aut quouis quæsito colore, pro quauis persona tàm subiecta Mag. Lucensi Communi, quàm non subiecta, exceptis dispositis in præsentibus Capitulis, aut statutis, & decretis.

Nec aliquod compromissum, aut remissionem acceptare, nisi prout per præsentia capitula disponitur sub pœna scutorum quinquaginta pro quolibet applicanda pro dimidia accusatori, & pro dimidia Mag. Communi.

Iudices teneantur acceptare causas, quæ eis delegarentur, Cap. 8.

TEneantur Mag. Dominus Prætor, & prædicti Mag. Domini Iudices Rotæ causas, quæ eisdem aut alicui eorũ delegarentur a Mag. generali Consilio, seu a Magnificis Dominis Antianis, tàm ciuiles quàm criminales, & mixtas acceptare, cognoscere, & terminare iuxta tenorem & intra tempus delegationis, & commissionis, nec propterea petere possint, aut consequi, & accipere sportulas salarium, aut præmium aliquod a quauis persona etiam sponte offerente, sub pœna scutorum quinquaginta applicanda pro dimidia accusatori, & pro dimidia mag. Cõi.

Et in huiusmodi causis respectu Iudicum Rotæ, & respectu Iudicis primarum instantiarum causarum ciuilium, & cuiuslibet eorum, acta & omnia incumbentia describi, & rogari debeant per vnum ex notariis curiæ

riæ illius Iudicis, cui causa commissa, & delegata fuerit, in libro ordinario causarum ordinariarum, & secundum modum, & ordinem earum seruata, tamen forma commissionis & delegationis, & non aliter, nec per alium Notarium, sub pœna scutorum decem pro quolibet cotrafaciente, & ommittente qualibet vice.

Qui Mag. DD. Iudices Rotæ appellationũ, de dictis causis, teneantur facere decisiones, sicut tenentur de causis ordinariis, & similiter D. Auditor & Iudex primarum instãtiarum causarum ciuilium, & quilibet ex dictis Iudicibus, cui erunt commissæ, & delegatæ causæ vt supra, ita, & taliter, quod a sententiis ferendis non possit appellari supplicari, aut recurri, teneatur dictas decisiones facere.

Et omnes prædicti teneantur stare ad sindicatũ de istis causis, sicut de ordinariis, sed respectu decisionis tantũ in causis sibi ad decidendum cõmissis, & respectu relationis tantum, in causis sibi ad referendum commissis.

Respectu verò Mag. D. Prætoris teneatur, & ipse simili modo, & debeat stare ad sindicatum de causis sibi ad decidendum cõmissis, sed respectu decisionis tantum, de causis verò sibi ad referendũ cõmissis respectu relationis tantũ: etsi contigerit per Mag. Dominos Antianos sibi aliquam causam cõmitti, aut delegari decidendam cum ea auctoritate, quam ipsi Mag. Domini habent, debeat & teneatur eam decidere secundum formam Iuris, & statutorum, non obstante huiusmodi delegatione, & cõmissione, & teneatur stare ad sindicatum vt supra.

Quod Officiales non recipiant commendationes, & de audientia præstanda. *Cap.* 9.

NOn possit aliquis masculus, aut fœmina ciuis, aut æsterus, publica, vel priuata persona cuiuscunq; gradus, & conditionis existat, verbo vel facto, aut scripto, cõmendare aliquam personam, vel causam dictis officialibus, aut alicui eorum in genere, vel in specie, etiam si dixerit commendare pro iustitia, & teneatur ille, seu illi, cui vel

vel quibus talis commendatio fieret ipsos sic commendantes reiicere, & eis audientiam non præstare exceptis ipsis partibus litigantibus aut earum Aduocatis, & Procuratoribus, quas seu quos etiam nullo modo audire possit, seu possint, nec etiam circa ipsas causas, & lites, & earum merita, nisi pulsata campana palatii Magnificorum Dominorum Antianorum de mane vsque ad sonum Auemariæ de sero præter quàm in præsentia partis aduersæ, aut Procuratoris vel Aduocati eius, vel de eorum, aut alicuius eorum consensu, & si contigerit aliquas litteras cõmendatitias alicuius causæ vel personæ dari, & præsentari ipsis officialibus aut alicui eorum vndecunque sint teneantur, de eis notitiam dare, & propalare Magnificis Dominis Antianis collegialiter congregatis incontinenti.

Et hæc omnia in præsenti capitulo contenta præcisè ob seruare teneantur sub pœna periurii, & scutorum quinquaginta pro quolibet & qualibet vice applicanda, pro dimidia accusatori, & pro dimidia magnifico Communi.

Et non habeant, & teneant ipsi officiales, vel eorum vxores, filii, filiæ, aut sorores conuersationem cum aliqua quauis persona siue masculo, siue fœmina, cuiuscunque qualitatis, aut conditionis, vel gradus in eorum cameris, etiam si fuerint litigantes extra horas audientiæ.

Nec ipsi aut eorum vxores, & alii, vt supra, seu aliquis eorum accedat, vel accedant ad conuiuia cum ciuibus, aut habitatoribus in Ciuitate vel territorio, sub pœna scutorum decem pro quolibet, & qualibet vice applicanda, vt supra.

De Iurisdictione, salario, & oneribus Magnifici Domini Prætoris. *Cap.* 10

MAgnificus Dominus Prætor sit Iudex ordinarius in criminalibus cum auctoritate, potestate, & iurisdictione in criminalibus, & damnis datis, quam statuta, & decreta Lucensis Ciuitatis ei concedunt.

Et

Et habere debeat aſsiduè penès ſe pro eius ſeruitio quatuor famulos. Item pro adminiſtratione eius officii Notarium, qui ſit Notarius annorum octo ad minus, & aliquod officium exercuerit, & aliter talis Notarius non admictatur, nec per Mag. D. Prætorem proponi poſsit, & fidem creationis d. Notarii oſtendere Mag. DD. Antianis teneatur, ac militem ſocium cum ſex famulis, inter quos nuncius non connumeretur, qui omnes ſint de loco diſtanti a ciuitate Lucenſi per quinquaginta miliaria approbariq; debeant per Mag. Dominos Antianos, & ſpectabiles Conducterios, ac omnibus Statutis, decretiſq; conductæ ſint obnoxii.

Et dictam eius familiam Mag. Dominus Prætor præfatus teneatur oſtendere, & de ea facere reſignam ad omnē ſimplicem requiſitionem Mag. Dominorum Antianorū, ſiue Spect. Conducteriorum, ne Lucenſe Commune defraudetur; & pro illis de dicta familia quos in reſigna, vel ante, aut poſtea non habebit, ſalarium conſequi nō poſsit.

Et pro tempore annorum duorum familia, quæ cum vno Prætore ſteterit poſsit cum ſucceſſoribus remanere, & reſirmari, exceptis tamen milite ſocio & Notario, qui non poſsint reſirmari, neque ſeruire, niſi vni tantum Prætori, etiam ſi ſeruitium præſtitiſſet per aliquod temporis ſpatium, etiam minimum anteceſſori, ſub pœna ſcutorū quinquaginta, tàm ipſis militi ſocio, & Notario, quàm Prætori, qui ipſos aut aliquem ipſorum conduceret, vel aliter in officio prædicto eſſe permicteret.

Qui Notarius & miles ſocius vacationem habeant annorum quatuor.

Quandocunque autem Mag. Dominus Prætor prædictus, Palatium eius reſidentiæ exiet, ante ſe ducere, & habere debeat quatuor famulos cum indumentis rubeis, & puerum, qui pileum, & enſem deferat.

Ac pro mercede, & ſalario ſuo, & præfatæ eius familiæ habeat a Lucenſe cōmune quolibet menſe ſcutos quadraginta ſeptem auri, & bononenos duodecim cum dimidio

dio ad rationem librarum ſeptem cum dimidio alterius libræ pro quolibet ſcuto, cum retentione tamen, de qua infra Cap. 22. & omnia emolumenta extraordinaria, quæ in cauſis criminalibus per formam Statutorum Lucenſis Ciuitatis conceduntur, quo ſalario ſtare debeat contentus.

Et nil accipere poſsit pro captura in cauſis criminalibus detentorum, vel pro cuſtodia carceratorum, vel ex quauis cauſa, aut quouis quæſito colore, niſi prout ei per Statuta conceditur.

Et ſalarium pro familia conſequi non poſsit, neque de eo Mandatoria fieri, niſi prius præſentata fide per Cancellariū conductæ, quòd fuerit facta reſigna, & quòd habuerit, & habeat integrum numerum famulorum, & familiæ ſuæ, vt ſupra, adeò quòd pro punctatis retineri poſsit, & debeat ſalarium pro rata ſcutorum duorum pro quolibet.

Et teneatur in ſindicatu, de, & pro omnibus, & ſingulis culpis exceſsibus, debitis, & contractibus, vel quaſi, eius familiæ (caſibus in quibus pœna corporalis imponenda veniret exceptis) & expreſſè teneatur ſoluere de ſuis propriis pecuniis omnes condemnationes pecuniarias: quæ contra Notarium, & militem ſocium in ſindicatu fierent pro ommiſsis vel commiſsis pertinentibus ad eorum officii adminiſtrationem, nec excuſari, aut releuari valeat, ſi eos in ſindicatu ante ſententiam præſentaret, vel poſt ſententiam traderet in poteſtate Lucenſis communis.

De fideiuſſoribus condemnatorum tranſmittendis ad Archiuium. & de mercede eorum capturæ, Cap. 11.

TEneatur etiam Mag. Dominus Prætor tranſmittere ad Archiuium publicum fideiuſſores vnà cum principalibus condemnatis, vel abſolutis, & omnia alia facere & obſeruare, quæ per ſtatuta, & decreta Ciuitatis Lucenſis diſponuntur.

Et officiales dictos fideiuſſores capientes lucrentur dimidiam partem præmii, quod pro captura principalium conceditur.

capitis fideiussoris condemnatorij habet dimidiā capturæ

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І.І. МЕЧНИКОВА

De Officio Mag. D. Prætoris circa damna data, *Cap.* 12.

DEbeat Mag. Dominus Prætor præfatus causas damnorum datorum expedite infra tempus instantiæ, de qua in Statuto, sub pœna in eo contenta, non obstante abusu hucusque in contrarium introducto, & sub eadem pœna Notarii facere teneantur ea, quæ debent vigore dicti Statuti, quæ in instantia incipiat diæ intimatæ responsionis, vel habitæ scientiæ, & sit dierum centum quindecim respectiuè, prout in dicto Statuto, & ipsis temporibus elapsis singula singulis referendo instantia sit perempta, & actor in expensis condemnari debeat, & sententia extra tempus instantiæ lata, vbi per denuntiatum facta esset responsio ad denunciam, seu accusationem non valeat, neque tenat.

In causis verò in quibus proceditur in contumaciam denunciati, seu accusati, nec Statuti præfati instantia, nec alia locum habeant, sed sententiæ latæ contra contumaces, etiam extra tempus instantiæ quocunque tempore valeant, & teneant, & Magnificus Dominus Prætor excusetur a pœna.

Quòd teneatur consilium dare quibusdam officialibus, *Cap.* 13

IDem Mag. Dominus Prætor requisitus a quocunque Iudice, seu officiali comitatus habente gladii potestatem teneatur ei consilium dare, & relationem facere in scriptis, prout iustitia suadebit, in causis capitalibus, & vltimi supplitii, transmissa ad eum summaria informatione facti in scriptis infra quindecim dies, a die transmisionis.

Inhibitoriæ Magnificorum Dominorum Antianorum quatenus suspendant instantiam, seu processum Magnifici Domini Prætoris, *Cap.* 14.

NE crimina denuntiata eius curiæ remaneant impunita, Magnificus Dominus Prætor præfatus, cui fuerit per Mag.

Mag. Dominos Antianos inhibitum, vel factum præceptum de circundando quærelam, inquisitionem, vel processum, & de non procedendo, aut quomodocunque fuerit per eos aduocata causa, supersedere debeat per viginti dies continuos, quibus durantibus instantia non decurrat, sed illis transactis, nisi infra dictum tempus fuerit sibi præsentata fides condemnationis vel absolutionis, teneatur omnino procedere, & causam terminare: & vltra primum præceptum supersedere non debeat, nec posit, & supersedendo propter aliud mandatum non excusetur; & casu quo infra dictum tempus viginti dierum per magnificos Dominos Antianos causa per ipsos aduocata, per eorum sententiam fuerit terminata, ipsa sententia attendi debeat, & si per errorem quouis modo per magnificum Dominum Prætorem fuerit iudicatum, facta fide de sententia magnificorum Dominorum Antianorum custodibus Archiuii publici, ipsi, & quilibet ipsorum teneatur sententiam magnifici Domini Prætoris circundare, remanente firma sententia magnificorum Dominorum Antianorum data infra viginti dies.

De officio Notarij Magnifici Domini Prætoris, & curiæ maleficiorum, *Cap.* 15.

NOtarius Mag. D. Prætoris & maleficiorum, suum officium exercere teneatur in sala parua mag. Domini Prætoris, & ibidem omnia acta, & examina describere, sub pœna infrascripta.

Teneatur etiam omnes quærelas, inditia, & processus, & omnes actus, & sententias describere in libris bullatis, & obsignatis, vt disponitur per capit. 3. lib. 4. statutorum, & registrare omnes cædulas tam capitulorum, quàm alterius cuiuscunque generis productas ab aliqua parte, in libro originali actorum & penes acta, suo debito loco, instrumenta autem, & alia iura non, nisi parte petente.

Teneatur insuper describere omnes quærelas, & præ-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І.І. МЕЧНИКОВА

ſentationes quærelarum, & denunciarum ei præſentandarum ipſa eadem die præſentationis, in libro vulgariter nuncupato, *Il Bastardello*, ei conſignando per Spectabile Officium ſuper intromittibus, notato, & ſignato; qui vocetur *Liber præſentationis querelarum*, ſcribendo in eo diem præſentationum quærelarum, & denuntiantium, & quærelatorum & denunciatorum, & accuſatorum, & dicta teſtium pro informatione curiæ tantum, & aliud in dicto Baſtardello deſcribere nequeat.

Et teneatur inchoare proceſſum in omnibus quærelis ſeu denunciis ad eum per quoſcunque præſentatis, & deductis quomodocunque, aut qualitercunque infra tres dies proſsimos a die, qua fuerint deductæ, & præſentatæ, & quilibet inquirens, ſeu accuſans teneatur in dicta quærela, ſeu accuſatione apponere diem præſentationis prædictæ.

Et debeat ipſa eadem die factæ reſponſionis negatiuæ, tàm facti principalis, quàm cuiuſcunque eius qualitatis per inquiſitum in quacunque cauſa criminali, vel infra duos dies ſequentes intimare Procuratori fiſcali talem reſponſionem, ſub pœna ſcutorũ viginti quinque pro qualibet omiſſione, ac etiam eidem Procuratori, ſub eadem pœna notificare publicationem proceſſus ipſa die publicationis, vel infra duos dies ſequentes, quæ notificationes fieri debeant in ſcriptis dicto Procuratori, per vnum ex nunciis Lucenſis Ciuitatis, & in eis exprimi nomina quærelantium, & inquiſitorum, & numerus cartarum libri.

Teneatur etiam quotieſcunque fuerit requiſitus ab Aduocato, vel Procuratore fiſcali, oſtendere cuilibet eorum quoſcunque libros curiæ maleficiorum (in ipſo tamen loco) vt videre poſsint, quæ ad eorum officium pertinent.

Nec poſsit examinare aliquos teſtes ſuper aliquibus Capitulis, niſi prius facta intimatione Procuratori fiſcali, & parti, contra quam producta eſſent cum citatione, & termino vnius diei ad dicendum cauſam quare ſuper huiuſmodi capitulis teſtes examinari non poſsint, & ad præſentandum eius interrogatoria ſub pœna prædicta.

Teneatur

Teneatur etiam deſcribere omnia examina teſtium quæ pro informatione curiæ non fierent in libro particulari deputando pro examinibus teſtium, non autem penès acta, aut in libro actorum, & in dicto examine faciendo non poſsit ipſe Notarius maleficiorũ deſcribere aliqua dicta teſtium, aut examen alicuius teſtis, niſi continuè aſsiſtat vnus ex Notariis curiæ damnorum datorum, & niſi examen præfatum deſcribatur eodem tempore per dictum Notarium damnorum datorum in libro propterea ordinato, & per eos in cauſis non capitalibus examina fieri, & deſcribi poſsint. In capitalibus verò debeant omnia dictari per Mag. Dominum Prætorem perſonaliter, & ſi examinaretur poſt reſponſionẽ inquiſiti etiam cum aſsiſtentia Aduocati fiſcalis, & ſemper per prædictos debeant vt ſupra deſcribi aliàs non valeant nec teneant, & nihilominus Mag. Dominus Prætor puniatur in ſcutis viginti quinque, & quilibet dictorum Notariorum in ſcutis decem qualibet vice.

Et teſtes examinandi in dicta curia maleficiorum debeãt examinari particulariter ſuper quolibet capitulo producto ſeparatim, & diſtinctè, & non coniunctim ſuper pluribus capitulis, apponendo in ipſo examine ſolum nomen, & cognomen teſtis, & numerum articuli ſuper quo examinaretur, & diem examinationis, quod etiam obſeruari debeat ſuper interrogatoriis, quæ debeant per partem præſentari, ſeu dari numerata, & non aliter, vt poſsit quodlibet interrogatorium nominari per numerum, vſque ad vltimum, & dictus Notarius debeat dicta interrogatoria ſibi præſentata regiſtrare ſemel tantum penès dicta primi teſtis examinati: In examine autem aliorum teſtium debeat apponere tantumodo numerum ipſius interrogatorii, ſuper quo examinatur vnà cum reſponſione particulari, & in ſpecie facta ad tale interrogatorium, non tamen per hoc ablata facultate Iudici reſecandi interrogatoria, quæ videbuntur ſuperflua ſiue captioſa, & non facientia ad cauſam.

Et nequeat examinatio prædicta delegari, ſeu committi, aut permitti alicui Iudici, aut perſonæ, ſub pœna cuilibet contrauenienti, tàm delegando, & committendo vt ſupra,

quàm

quàm describendo, aut describi permittendo qualibet vice scutorum decem auri, nisi testes examinandi fuerint extra ciuitatem infirmi, aut taliter inhabiles, quod non possint comparere.

Et nequeat citationem aliquam emittere ad informandum curiam, vel aliter, nisi de ipsa citatione & causa ob quam emanaret, appareat in aliquo ex libris curiæ, & si propter casus qualitates mag. D. Prætori videretur, quod causa non appareret ante ipsius citationis emissionem, debeat tamen postea suo loco, & tempore de ea in dictis libris apparere, & nihilominus hoc casu talis citatio debeat propria manu ipsius mag. D. Prætoris subscribi, vltra ordinariam subscriptionem Notarii, & citationes aliter emissæ, quo ad excusandum citatum a captura, quæ aliàs ex quacunque causa, quæ de eo fieri posset, seu deberet nihil valeant; sed si citatus forma prædicta non seruata reperiretur per executores, & aliàs veniret capiendus, omnino capi debeat, & teneatur Notarius prædictus omnem condemnationem, quæ de sic citato, aut de capto vigeret, pro debito ciuili intra terminum trium dierum proximè sequentium a die talis capturæ soluisse & capsasse, ipsumque ita citatum, & captum a carceribus liberasse, & ad sic faciendum compellatur infra tres dies per mag. D. Prætorem omnibus remediis opportunis, & vlterius quandocunque, & qualitercunque reperiretur emisisse citationem forma prædicta nõ seruata, etiam si non emanasset contra sic condemnatum, nec in fraudem condemnationis facta dici posset, puniatur & condemnetur per ipsum mag. D. Prætorem de facto, & sine processu, in scutis decem pro qualibet citatione emissa dicta forma non seruata, applicandis pro dimidia accusatori, & pro dimidia mag. Communi, & prædicta omnia obseruare teneatur sub pœna scutorum vigintiquinque pro qualibet vice, & qualibet contrauentione in quibus sindicari debeat.

De Mercede

De Mercede Notarij curiæ maleficiorum, *Cap.* 16.

NOtarius Mag. D. Prætoris, & maleficiorum pro mercede scripturarum, & rogituum, nil accipere possit, etiam a sponte offerentibus, nisi summas descriptas in tabella tenenda tam in loco eius residentiæ, quàm in Cancellaria MM.DD. Antianorum, sub pœna scutorum xxv. pro qualibet vice.

Et pro examinibus faciendis, ad instantiam alicuius personæ priuatæ tantum, videlicet pro dictatura, & rogitu possit accipere ab ipsa priuata persona idem præmium tantum, quod datur in causis ciuilibus Mag. D. Consultori pro examinibus testium, & non vltra, distribuendum pro dimidia inter eum, & Notarium damnorum datorum, cum declaratione, quòd si postea daretur ipsi parti copia de dicto examine, tunc dicta expensa facta pro ipsa dictatura, & rogitu, debeat computari, & compensari cum præmio soluendo pro ipsa copia, & tantò minus ipsa pars soluere de dicta copia teneatur.

Insuper d. Notarius in tradenda copia scripturarũ, actorũ, aut dictorũ testium, teneatur obseruare Statutum cap. 53. in fi. lib. 5. Videlicet, quòd in qualibet facie adsint lineæ xxx. ad minus de octo dictionibus completis pro qualibet linea, vt in d. Statuto, & prædicta omnia obseruare teneatur, sub pœna v. xxv. pro qualibet vice, & qualibet contrauentione applicanda pro dimidia parti, seu procuratori fiscali, & pro alia dimidia Mag. Lucensi Communi, & in qua debeat sindicari.

Et teneatur dictus Notarius Maleficiorum infra tres menses proximos a die ingressus sui officii deponere in Archiuio pub. omnes libros maleficiorum sui antecessoris cuiuscunq; qualitatis vná cum filsa cædularũ, & librũ depositionũ testiũ, ibi custodiendos per custodes Archiuii in loco ad id deputato, qui custodes teneantur, & debeant videre, an omnes libri sint præsentati, & facere de eis notam iuxta ordinem consuetũ sub pœna cuilibet contrafacienti v. xx. pro qualibet vice.

De mercede, & oneribus Notariorũ curiæ damnorũ datorũ *Cap.* 17

NOtarii damnorum datorum teneantur interesse omni, & cuicunque examini, excepto pro informatione curiæ, quod

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

quo ad faceret, seu facere deberet, aut vellet Notarius maleficiorũ, & illud describere eodem tempore cũ dicto Notario maleficiorum, vt supra in cap. De offi. Not. M. D. Prætoris dictum est: & propterea teneatur deseruire dicto officio quilibet ipsorum vna hebdomada, incipiendo a seniori, & successiuè gradatim procedendo vna, & tempus, & onus prædictum inter eos æqualiter diuidatur, sub pœna priuationis ab officiis vtilitatis pro annis x. ad declarationem MM. DD. Antianorũ. Et ex dictis Notariis vnus ferè assiduè, & die Sabbati semper, & assiduè esse teneatur cum d. Notario maleficiornm, vt facilius incumbentia officii valeant expediri.

Et propter huiusmodi onus, & laborem habere, & consequi debeant salarium scutorum duorum pro quolibet, quolibet mense iuxta dispositionem alias factam, vltra participationem eis prouenientem ex causis criminalibus ex forma Statutorum, & præsentium Capitulorum.

Et vltra prædicta dicti Notarii, & quilibet ipsorum, qui requisitus a Mag. D. Prætore per nuncium in termino sibi dato non comparuerit, debeat per ipsum Mag. D. Prætorem condemnari incontinenti in ∇. x. vsque in xxv. ad eius arbitrium, & pro sic condemnato infra tres dies ad Archiuium transmitti, a qua condemnatione non detur aliqua appellatio, recursus, aut nullitatis dictio, & possit procedere de facto, & absque alio processu.

Et teneatur etiam vnus ex eis saltem vna vice qualibet hebdomada ad requisitionem Aduocati, seu Procuratoris fiscalis, vnà cum eis siue eo, qui sic ipsos Notarios requireret, reuidere libros prædictos dicti Notarii maleficiorum, sub pœna cuilibet eorum scutorum quatuor qualibet vice.

De oneribus, & mercedibus Fiscalium *Cap.* 18.

ADuocatus, & Procurator Fiscalis, & quilibet eorum curare debeant, vt omnia contenta in præsentibus Capitulis obseruentur, tam a Mag. Domino Prætore, quàm a Iudicibus Rotæ, & aliis, & ab omnibus Notariis curiarum prædictorum Iudicum, & teneantur quolibet mense se præsentare corã Dominis Antianis, & cum iuramento referre, an secuta sit

sit aliqua contrauentio, aut obseruantia, & qua, sub pœna priuationis ab eorum officio, a quo in casu contrauentionis intelligantur ipso iure, & ipso facto priuati, & Magnifici Domini Antiani prædicti teneantur sub pœna periurii prima die mensis sequentis substituere alios siue alium in dictis officiis siue in officio eius, qui defecerit, & de dicta præsentatione, ac relatione fieri debeat scriptura per vnum ex cancellariis siue coadiutoribus in Manuali cancellariæ.

Teneantur etiam Aduocatus, & Procurator prædicti deseruire Gonfaloneriis contratarum ciuitatis, & Consulib. siue officialibus communium comitatus in formandis denunciis, quas aliquis eorum pro onere sui officii facere deberet, aut vellet Mag. D. Prætori videlicet: Aduocatus Gonfaloneriis: Procurator verò Consulibus, seu officialibus prædictis gratis, sine aliqua mercede, vel præmio ad omnem simplicem eorum requisitionem sub pœna scutorum quinque pro quolibet, & qualibet vice, qua contrauenerint.

Teneantur etiam in omnibus, & singulis causis criminalibus, seu mixtis coram Mag. D. Prætore, & Dominis Iudicibus Rotæ appellationum vertentibus diligenter, & pro viribus suscipere, & sustinere partes Mag. Communis ac illius iura defendere, tam in processu, quàm per allegationes in iure.

Teneantur vlterius prædicti deseruire omnibus officiis, seu magistratibus publicis in omnibus causis tam ciuilibus quàm criminalibus, seu mixtis, & tam ordinariis, quàm delegatis, in quibus ageretur principaliter, siue in consequentiam de interesse Magnifici Communis, quæ modo in Ciuitate agitarentur, & quarum interesse trascenderet summam in causa criminali scutorum sex auri, in causa ciuili scutorum duodecim, nec possint de ciuitate discedere, nisi obtenta licentia a Magnificis Dominis Antianis, & relicto substituto eorum periculo.

Præmium autem ipsorum sit decima omnium, & singularum condemnationum, quæ in causis prædictis coram

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

Mag. D. Prætore in contradictorio agitatis durante eorum officio sequentur, videlicet pro vna tertia parte Aduocati, pro duabus Procuratoris.

Præterea Aduocatus habere, & consequi debeat salarium ordinarium scutorum quatuor quolibet mense; procurator verò quadragesimam omnium condemnationum, quæ fierent in contumaciam, seu in confessum, & hoc si pœnæ sint pecuniariæ, sin autem sint corporales iuxta qualitates dispositas per decretum æditum, sub die decimaquinta lunii 1576. habere debeant scutos duos, vnum pro quolibet, tam si causa in contradictorio agitata fuerit, quàm si in contumaciam, nec possit per aliquem, vt supra, condemnatum supplicari, nisi præsentata fide concordiæ, & satisfactionis cuiuslibet eorum.

Insuper consequi debeat vterq; respectiuè præmium laboris impensi in causis, quas ad prædictorum officiorum requisitionem susceptas obtinerent arbitrio spect. officii sui per introitibus, a quo infra sex dies a die requisitionis omnino taxari debeat.

De officio Mag. D. Prætoris si vulnera per Chyrurgos denunciata sint. *Cap.* 19.

OMnes Chyrurgi, seu Barbitonsores, qui vocabuntur ad curam percusionum, aut vulnerum, tam cum effusione sanguinis, quàm sine; teneantur, & debeant intra duodecim horas ab hora qua vocati erunt ad curam in Ciuitate & intra duos dies a die, qua vocati fuerint ad curam intra sex miliaria, denunciare Mag. D. Prætori personam, vulnera tam, seu percussam vnà cum qualitate vulneris, seu percussionis, nec non a quo, seu a quibus persona vulnerata, seu percussa dicat, aut credere dicat, se fuisse vulneratam, seu percussam, & in quo loco, de quibus propterea teneatur interrogare ipsam personam vulneratam, seu percussam, aliás in casu cuiuscunq; contrauentionis puniatur in penam scutorum xxv. applicandorum pro tertia parte accusatori, pro alia executori, pro alia Mag. Communi.

Et

Et in prædictis sit ludex competens ipse Mag. Dominus Prætor, non derogando propterea oneri spectabilium Gonfaloneriorum contratarum denunciandi delicta secundum formam eorum capitulorum, quæ in suo robore & firmitate remaneant.

Qui Mag. D. Prætor habita dicta denunciatione ab ipsis Chirurgis, seu Barbitonsoribus teneatur intra alios tres dies, tam per viam Gonfaloneriorum præfatorum, quàm per viam offensi, aut alio modo perquirere veritatem delicti, & procedere iuxta formam statutorum, sub pœna, sub qua tenetur formare quærelas intra tempus statutorum, & capitulorum Rotæ respectiuè, ac etiam teneatur mittere ad domum vulnerati siue percusi eius Notarium, vt ab eo inuestiget specialiter & distinctè veritatem facti, tam circa personam, a qua prætenderet se offensum, quàm circa alias qualitates & circunstantias delicti, & circa testes, aut personas, qui de delicto scientiam habere possint quouis modo. Qui Notarius statim facta dicta denunciatione teneatur, & debeat illam describere in Bastardello, de quo supra, sub pœna scutorum vigintiquinque.

Et vlterius Barbitonsores, seu Chirurgi, qui tales denuncias fecissent, si non fuerint vt supra descriptæ, incidant in eandem pœnam, ac si denunciam non fecissent, & Magnificus dominus Prætor teneatur ad obseruantiam prædictorum, intra tempora prædicta, sub pœna scutorum decem pro qualibet ommissione, & post tres dies de quibus supra infra alios octo dies sub prædicta pœna teneatur inquisitionem formare, & incohare processum.

Vlterius teneantur dicti Chirurgi, & Barbitonsores loco denunciæ, quam facere debeant Gonfaloneriis contratarum in futurum dictam denunciam facere in cancellaria Mag. Dominorum Antianorum, quæ per vnum ex cancellariis, siue coadiutoribus describi debeat in libro propterea ordinato sub eadem pœna, quem librum Mag. Domini Antiani cuiuslibet colegii reuidere debeant, & prouidere, ne delicta remaneant impunita, & hoc vltimum capitulum reducatur, & reduci debeat ad viriosm obseruantiam.

D 2 De

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

De Captura delinquentium, & præmio, *Cap.* 20.

ET omnes & singuli delinquentes, qui aliquem occiderint, seu vulnerauerint cum sanguinis effusione cum armis, baculis, lapidibus, aut alia quacunque re offendibili, ante responsionem factam inquisitioni, possint capi per quoscunque officiales quandocunq;, & officialis seu executor capiens lucretur præmia in suis casibus per statuta & decreta declarata, & concessa capientibus malefactores in fragranti crimine, dummodo si caperentur in termino primæ citationis tantum, executor præmium aliquod non lucretur. Item & si caperentur seu retinerentur in palatio Mag. D. Prætoris similiter non lucretur præmium.

Quod post lapsum primi banni causæ expediantur, *Cap.* 21.

IN omnibus causis criminalibus coram eo vertentibus Mag. D. Prætor post lapsum dierum octo primi banni cõtra contumaces lati causam expedire teneatur infra decem dies proximè sequentes, sub pœna scutorum decem pro qualibet omissione, cum declaratione quod in capitalibus reo inquisito personaliter non comparente neminem prorsus admittere possit ad eum ab inquisitione contra eum formata defendendum quicunque sit taliter comparens, & sub quocunque nomine compareat, vel procuratoris, vel coniunctæ personæ (etiam si sit pater) vel excusatoris, aut aliquo quouis modo, & quouis quæsito colore, sed talem sic comparentem (præter quàm in casibus tantum in statuto expresse declaratis) omnino expellere debeat, & tali defensione non obstante procedere ad condemnationem, tanquàm contra contumacem, infra terminum, & sub pœna infra quem, & sub qua ad dictam condemnationem & expeditionem causæ procedere teneretur nemine comparente, ac defensionem faciente, reiecto quocunque abusu, & non obstante aliqua interpretatione aliquãdo forsan incontrarium recepta.

De'

De Salario DD. *Iudicum Rotæ,* *Cap.* 22.

PRÆFATI quatuor Iudices Rotæ habere debeant pro suo, & famulorum suorum salario scutos 1272. auri, quolibet anno, diuidendo æqualiter inter ipsos iuxta decretum superinde editum, quod salarium singulo mense cuilibet eorum solui debeat, excepto salario duorum vltimorum mensium eorum officii quod retineri debeat, donec fuerint sindicati, & vltra salarium prædictum nil accipere possint, aut aliquis eorum possit ex alia quacunque causa sub quouis quæsito colore, nisi prout per statuta, & præsentia capitula eis conceditur. In principio tamen cuiuslibet semestris dimittere teneantur Cancellariæ M M. D D. Antianorum, iuxta eius ordinem, & consuetudinem scutos duodecim inter omnes de eorum salario. Magnificus vero Dominus Prætor ad gratam rei memoriam in fine cuiuslibet semestris dimittere teneatur de eius salario scutos quatuor auri, expendendos per operarium sanctæ Crucis in ornamentis ecclesiæ; cancellariæ vero, vt supra similiter scutos quatuor in principio cuiuslibet semestris.

De Officio D. *Auditoris Rotæ, & Iud. primarum instantiarum causarum ciuilium,* *Cap.* 23.

DOminus Auditor Rotæ primarum instantiarum causarum ciuilium habeat eandem auctoritatem, potestatem & iurisdictionem, quæ per statuta Lucensis ciuitatis Prætori eiusq; assessori, siue Vicario in causis ciuilibus tantum, & quæ ciuiliter tractantur tribuitur, exceptis causis a scutis quinque auri ad rationem librarum septem cum dimidio infra, quæ expediri debeant, vt inferius dicetur, & exceptis examinibus testium, quæ fieri debent per Dominum Iudicem Consultorem, & excepta auctoritate, & iurisdictione respectu incompetentiæ, de qua infra disponitur.

De'

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

De particularibus Officijs Magnificorum Dominorum Iudicum Rotæ appellationum. & primo, de officio Sindici, *Cap.* 24.

PRopria, & singularia officia Magnificorum Dominorum Iudicum Rotæ appellationum sint, & procedant modo infrascripto videlicet: vnus appelletur pro octo mensibus maior Sindicus, & sit Iudex Mercantiæ, & aliarum causarum quaruncunque ad officium Sindici, ex forma Statutorum, & decretorum spectantium.

De Officio Consultoris, *Cap.* 25.

ALius ex præfatis Iudicibus pro tempore prædicto sit Consultor in omnibus, & quibuscunque causis Magnificorum Dominorum Antianorum, & omnium Magistratuum Lucensis Ciuitatis, & pro consiliis nullum præmium recipiat, & interuenire expresse debeat in omnibus, & quibuscunque examinibus fiendis, tam in causis principalibus vertentibus in curia domini Auditoris Rotæ, & Iudicis primarum instantiarum, quàm in causis appellationum quibuscũque, *exceptis causis summariissimi* possessorii, & causis de quibus in statuto libro secundo cap. 17. & de eis rogari debeat Notarius ipsius causæ, & pro examinibus in quibus fuerint producta capitula vsque in sex pro quolibet teste, consequi debeat pro mercede bononenos tres, & non vltra, ab inde verò supra quatrenos tres pro quolibet capitulo, super quo fuerit testis examinatus, & prædictam mercedem recipere debeat a Notario de examine rogato, de pecuniis tamen partis ad instantiam cuius factum fuerit examen, ab alia autem persona aliquid recipere nequeat, & prædicta sub pœna scutorum decem, & non derogando dispositioni statuti cap. 75. libro primo, quæ in suo robore in cæteris ac firmitate remaneat.

Sit etiam præfatus Mag. Consultor Iudex competens, & ordinarius in causis minimis a scutis quinque infra vt supra, vbi petatur pecunia, aut species aliqua, & nisi summa petita

petita dependeret a maiori summa etiam soluta, vel ab alia re, & causa maioris momenti, ac valoris scutorum quinque vt supra, quæ negaretur, vel cui per talem cognitionẽ fieri posset aliquo modo præiudicium, & tales causas expedire valeat & teneatur absque aliquo processu in scriptis, excepta petitione, responsione, & sententia prout forma statuti Lucensis ciuitatis disponit, & eius iurisdictio non possit modo aliquo prorogari etiam de consensu partium tacitè vel expressè.

Declarando, quòd si summa petita sit residuum maioris summæ, quatenus actor de reliquo satisfactum sibi fuisse fateatur petitio dicti residui in auctoritate Mag. Consultoris comprehendatur, & per eum terminari debeat, sed respectu maioris summæ, quæ vt supra soluta diceretur, perinde omnino habeatur, & sit, ac si de tali residuo non fuisset cognitum, nec talis causa in iudicium aliquo modo deducta, quia ex hoc disponitur dictæ causæ maiori nullum penitus inferri præiudicium.

Nec possit vno tempore fieri petitio continens plures summas, quæ simul collectæ, excedant summam scutorum quinque, etiam quod apponeretur protestatio cõsueta, quod intelligantur fieri tot petitiones, quot summæ, & si secus fieret Iudex admittens, & Notarii scribentes in suo casu puniantur, quilibet in scutis vigintiquinque applicandis pro dimidia parti, pro alia dimidia Mag. Communi, & sententia sit ipso iure nulla, & nullum inferat præiudicium.

Et nemo possit in dicta curia ob contumaciam mulctari nisi præcedat petitio scripta in actis, quæ rem vel summam debitam, & expressè petitam contineat, ad hoc, vt in cassanda mulcta scire possit mulctatus, quid soluere & deponere debeat, aliàs mulcta sit nulla, & actor in expensis condemnetur.

Et Notariorum præmium, quo ad examen, & ostensionem testium in quacunque causa non possit excedere summam bonenorum duorum pro quolibet teste.

Et teneatur Mag. Consultor præfatus expedire causas intra quindecim dies continuos a die petitionis, & lata sententia

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І.І. МЕЧНИКОВА

tentia non posſit eam reuocare, ſed tranſeat in rem iudicatam, & posſit cauſas expedire in eius camera, & vbicunque & in quocunque loco. Item & citare posſit in quacunque die, & loco, & etiam pro eadem die exiſtentes in ciuitate, & perſonaliter repertos.

Et coram eo praticantes quomodocunque in arte notariatus non posſint ſcribere acta in cauſis præfatis, neq; officium procuræ exercere, ſub pœna cuilibet contrafacienti ſcutorum quatuor pro qualibet vice ipſo facto, & ipſo iure incurrenda, & abſque aliqua declaratione applicanda, pro dimidia Mag. Communi in quam per ipſum Mag. Conſultorem tranſmitti debeant infra tres dies condemnati ad exactores ſiue ad Archiuium publicum.

Et vltra pœnam ſupraſcriptam copiſtæ, & praticantes deſcripti propalari debeant in matricula, quando tractatur de vita, & moribus eorum, vt posſint per dictam matriculam vlterius puniri quatenus opportunè videatur.

Et Notarii dictæ curiæ recipere non posſint pro mercede quaruncunque ſcripturarum, & actorum, quæ fieri contigeret in quibuſcunq; cauſis in dicta curia vertentibus (etiã a ſponte offerentibus) niſi pro quinque actibus ſubſtantialibus tantum videlicet citationis, relationis, petitionis, reſponſionis, & ſententiæ pro quibus etiam recipere non poſſint, niſi bononenum vnum pro quolibet ex dictis actibus, excepta petitione pro qua habere debeant bononenos duos, & bononenos duos pro quolibet teſte, cuius dicta in ſcriptis redigerentur, & ludici oſtenderentur.

Teneatur etiãm ludex præfatus cauſas ſalariorum & mercedum pro ſeruitiis, ſeu laboribus, ac operibus perſonalibus infra prædictam ipſius iuriſdictionem conſtitutas ſemper, & omni tempore expedire, etiam ſi feriæ repẽtinæ eſſent vel dies in honorem Dei feriati.

Cum declaratione, quod in cauſis ſupradictis, & in auctoritate, ac iuriſdictione Conſultoris comprehenſis nequeat D. Iudex primarum inſtantiarum vllo modo ſe intromittere, nec de eis cognoſcere, aut ſuper eis pronunciare ſub pœna ſcutorum decem pro qualibet vice.

Ac

Ac etiam cum declaratione, quòd omnes cauſæ minores prædictæ etiam ſi penderent, ſeu pendere dicerentur a cauſis maioribus, & maioris valoris, ſi cauſæ maiores huiuſmodi non negarentur, ſeu controuerterentur, in iuriſdictione dicti Magnifici D. Conſultoris contineri intelligantur, & per ipſum decidi debeant, vt ſupra, ſed ex tali cognitione, & deciſione cauſis maioribus, ſeu maioris valoris, ac momenti, a quibus penderent nullum penitus præiudicium auctoritate præſentis diſpoſitionis refragante fieri posſit.

De officio Iudicis Viduarum, & Pupillorum. Cap. 26.

TErtius ex præfatis Iudicibus Rotæ ſit Iudex in curia Viduarum, & pupillorum, vnà cum duobus ciuibus eligendis ab honorando Conſilio XXXVI. Ciuium quolibet anno iuxta conſuetudinem, & cum auctoritate, & modo, & forma de qua, & prout in capitulis ſuper Viduis continetur.

Cum declaratione tamen, quòd quando in caſibus dictorum capitulorum daretur appellatio, ſeu recurſus ad Mag. Dominos Iudices Rotæ ſeruentur omnia, quæ generaliter circa appellationem, ſeu recurſum ob defectum iuriſdictionis diſponuntur infra in cap. 29. & 30. de materia ipſa loquentibus, tam circa tempus interponendi talem nullitatem, quàm in omni alia parte.

Sed huiuſmodi nullitas, ſeu recurſus vt ſupra, cognoſci debeat per alios Mag. Dominos Iudices Rotæ, & Dominũ Auditorem, & Iudicem primarum inſtantiarum cauſarum ciuilium, prout in dictis capitulis.

Hoc tamen addito, quòd, quando illi qui agerent non eſſent Viduæ, aut pupilli, ſoluere debeant datiã iuxta formã Statuti tam pro cauſis coram dicto officio agitandis, prout etiam, quando peteretur compromiſſum vigore capitulorum dicti officii, & ſit in electione pupillorum, ſeu viduarũ, qui aut quæ conuenirentur tam ipſis cauſis ſeu compromiſsis pendentibus, quàm ſecuta ſententia quandocunque

 eligere,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

eligere, & velle teneri in summa pro qua soluta fuisset datia, & sic eligendo intelligantur condemnati in dicta tantum summa vnà cum datia soluta, & non vltra, nec vllo vnquam tempore ex tali causa aliter molestari possint, non derogando in cæteris dispositioni dictorum capitulorum.

Qualiter officia inter Mag. Dominos Iudices Rotæ appellationum deuoluantur, *Cap. 27.*

QVi fuerit in primis octo mensibus Consultor in secundis postea succedat Sindico, & ipsi Consultori succedat Iudex Viduarum, ipsi verò Sindicus, & sic inuicem reuoluantur dicta officia pro tertiis octo mensibus.

Qui subrogentur loco impeditorum, *Cap. 28.*

SI contigeret Dominum Auditorem Rotæ & Iudicem primarum instantiarum causarum ciuilium esse extra Ciuitatem, seu infirmum, possint coram Mag. Consultore peti, & fieri sequestra, intesimenta, inquisitiones, protestationes, noui operis nunciationes, & depositа si dies solutionis tunc cederet, possint etiam per eum interponi decreta, & concedi licentia capiendi suspectos de fuga.

Item arresta, & sequestra carceratorum, qui dicto tempore aliàs capi, aut carcerari potuissent, quæ omnia, tam per ipsum Magnificum Consultorem tempore absentiæ, vel infirmitatis prædictæ, quàm per ipsum Dominum Auditorem, & Iudicem primarum instantiarum causarum ciuilium præsentem concedi, & exequi possint quocunq; tempore, etiam feriato in honorem Dei, dummodo in concessionibus, & licentiis prædictis apponatur dies, & hora, & licentia manu propria Iudicis subscribatur, & generaliter omnia fieri per eum, & coram eo possint durante absentia seu infirmitate prædicta, quæ dilationem non patiantur iuxta dispositionem cap. 12. lib. primo statutorum.

Et

Et in casu infirmitatis, seu absentiæ vtriusque, possint omnia prædicta fieri coram Mag. D. Sindico, vel Iudice Viduarum, & per eum expediri in omnibus, & per omnia, pro vt supra.

Et de tali absentia, seu infirmitate, stetur verbis assertiuis Notarii.

Si verò aliquis ex dictis Mag. DD. Iudicib. Appellationũ esset absens a Ciuitate, & territorio Lucen. vel infirmus, aut taliter impeditus, quòd officium eius proprium, ac speciale exercere non posset, succedat loco eius alius ex dictis Iudicibus, qui in dignitate, & præheminentia sit immediatè inferior, & Iudici Viduarum succedat Consultor.

Absentia autem de qua in præsenti Capitulo, intelligatur etiam in casu, quo aliquis adhuc non venerit, vel officium non acceptauerit, vel quouis modo deficiat, vel quouis modo, aut quauis causa officium Iudice vacaret.

Quòd si omnes essent impediti, seu officium per eos, aut aliquem eorum expediendum, expedire non possent, durante tali impedimento, & defectu nulla decurrat instantia, siue terminus, tam in causis ordinariis, quàm delegatis, & tã in negocio & causis ad Rotam spectantibus, quàm ad singulos, aut aliquem eorum separatim, sed omnia remaneãt integra, & illesa, donec impedimentum cessauerit, vel aliter fuerit prouisum.

De communi Officio Mag. Dominorum Iudicum Rotæ appellationum. *Cap. 29.*

COmmune verò officium Mag. Dominorum Iudicum Rotæ appellationum sit, & versetur circa appellationes modo & forma infrascriptis videlicet. Quòd a sententiis omnibus latis, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, & mixtis, & damnorum datorum a quibuscunque Iudicibus tam Ciuitatis, quàm territorii Lucensis, a quibus per statuta & decreta Lucensis Ciuitatis appellatio, recursus, & nullitatis dictio non prohibetur: Appellatio, recursus, & nullitatis dictio deuoluantur ad prædictos Dominos Iudices Ro-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

tæ appellationum, exceptis tamen appellationibus a sententiis Consilium curiæ Mercatorum, & Officialium maioris Lucēsis Gabellæ, & Fundaci, in quibus est specialiter prouisum. Item & illis, in quibus est specialiter prouisum, quo'd fiant ad Magnif. Dominos Antianos. Et si dictæ sententiæ fuerint confirmatæ, seu infirmatæ, vel reformatæ in totum, vel pro parte ab omnibus tribus concordibus, vlterius appellari non possit, sed ipsa sententia transeat in iudicatum, & similiter si a duobus ex eis tantum fuerint confirmatæ in totum vel pro parte, a dicta confirmatione, & partibus confirmatis non possit vlterius appellari, sed sententia in partibus confirmatis transeat in iudicatum, si vero fuerint infirmatæ, seu reformatæ in totum, vel pro parte a duobus ex eis tantum, tunc infra tempora a statutis permissa possit appellari a dicta sententia infirmata, seu reformata, & a partibus infirmatis, seu reformatis tantum, ad Mag. Dominos Antianos; Qui Mag. Domini Antiani teneantur statim, & debeant sub vinculo iuramenti admittere appellationem interpositam cum clausula si, & in quantum &c. & postea infra octo dies prosximos a die requisitionis factæ a quauis parte siue appellante, siue appellata delegare causam in aliquem Iurisperitum de collegio Doctorum, qui sit de matricula ad minus annorum octo, requisitis prius partibus ad dandum cedulam cum suspectis vsque ad numerum sex, & totidem confidentibus, & non vltra, possit tamen per eos suspectorum numerus refrenari, & parte bis monita, vel citata ad dandum cedulam cum suspectis, & confidentibus contumace, vel habitis per dictos Mag. DD. Antianos ab vtraq; parte binis cedulis suspectorū & confidentium, in quibus partes non concordauerint in aliquem confidentem, tunc in dictis casibus, & quolibet eorum, dicti Mag. DD. Antiani infra dictum tempus teneantur, & debeant eligere vnum Iurisperitum de dicto collegio eorum arbitrio extra numerum confidentium, & suspectorum sibi datorum ab vtraque parte, vel ab vna tantum in contumaciam alterius, & in eum electum dicti Mag. AA. siue in confidentem datum ab vtraque parte

in

in suo casu debeat delegari dicta causa, seruata in cæteris forma statutorum capitulo 4. lib. 5. Et casu quo opponeretur, vel coram dd. Mag. AA. vel coram ipsomet Iudice electo non esse deferendum appellationi, talis articulus debeat decidi ab ipso Iudice, & ipse sit Iudex competens in tali articulo, qui Iudex sic electus teneatur, & debeat causam ipsius appellationis, & dictum articulum, an appellatio sit admittēda, casu quo opponeretur, terminasse infra xxx. dies continuos a die præsentatæ, seu intimatæ electionis, & delegationis, quibus elapsis, & non lata sententia, instantia dictæ causæ appellationis sit perempta, & sententia lata per ipsos Mag. Dominos Iudices Rotæ appellationum transeat in rem iudicatam, & appellans ipso iure, & sine alia declaratione intelligatur in expensis condemnatus; & vlterius appellari non possit.

Nec etiam appellari vlterius possit ad aliquem Iudicem si per Iudicem electum a Mag. DD. Antianis cōfirmaretur, vel infirmaretur, vel reformaretur in totum vel pro parte sententia lata per dictos Mag. Dominos Iudices Rotæ, sed firma remaneat omnino sententia lata per ipsum D. Iudicē electum a Mag. DD. Antianis, & in rem transeat iudicatā.

Cum declaratione, quod neque coram ipso Domino Iudice electo a Mag. Dominis Antianis, neque coram eis necesse sit probare de grauamine florenorū xxvi. sed sine aliqua probatione grauaminis appellatio præfata sit permissa.

Et prædicta omnia, quo ad dictam appellationem facien dam a dictis Dominis Iudicibus appellationū ad Mag. Dominos Antianos, in casibus permisis vt in præsenti cap. & non aliter, procedant etiam in causis Dominis Iudicibus Rotæ delegatis a Mag. Consilio generali, & omnia circa dictam appellationem in præsenti cap. disposita obseruentur etiam in dictis causis delegatis, nisi aliter ex forma delegationis specialiter disponatur.

Et si per Magnificos Dominos Iudices Rotæ pronuntiaretur appellationi non esse deferendum, seu appellationem non esse admittendam, vel eos non esse Iudices competentes, seu per similia, aut æquipollentia verba, si quidem

per

per omnes tres cõcordes, a tali pronuncia vlterius appellari nó posit, si autem per duos tantũ, tunc detur recursus ad Mag. DD. AA. Obseruando omnia vt supra in appellatione a difinitiua dictum est, hoc tamen excepto, ꝙ talis recursus debeat interponi infra tres dies continuos, & Iudex electus teneatur infra decem dies continuos a die sibi intimatæ seu præsentatæ electionis causam terminasse, sub pœna de qua in præsenti cap. & etiam debeant deponi in manibus Notarii de recursu rogati v. duo aurei, vt in cap. xxxi. sub Rub. de recursu ab interlocutoriis, & omnia ibi dicta circa recursum, quatenus conuenire possint, in casu præsentis dispositionis locum habeant, & obseruentur, & a die dicti recursus interpositi vsque quo fuerit per Dñ. Iudicem electũ a Mag. Dominis Antianis pronuntiatũ, instantia causæ principalis non decurrat, & si per dictum Dominum Iudicem electum dicta pronuntia fuerit reuocata, tunc procedatur in causa coram Dominis Iudicibus appellationum, ac si ipsi tali modo pronunciassent. Si autem per dictos Dominos Iudices appellationũ, siue per duos ex eis pronunciaretur appellationi esse deferendum vel esse Iudices competentes, vel per similia aut æquipollentia verba, tunc non detur aliquis recursus aut appellatio, sed procedatur in causa, & reguletur, ut quælibet alia mæra interlocutoria lata a dictis Dominis Iudicib. appellationũ. Electus autem a Mag. DD. Antianis ex forma præsentium capitulorum, siue de alicuius interesse ageretur, siue non, teneatur omnino intra tempora sibi præstituta, causam sibi cõmissam terminasse, sub pœna semper, & omnino v. 100. pro tertia Mag. Gommuni, & pro reliquo parti recurrenti, seu appellanti applicanda, & vlterius teneatur ad expensas, damna, & interesse ipsius partis, si propterea damnum aut interesse pateretur, & intra dicta tempora respectiuè, dũmodo de eo supersint ad minus tres dies, debeant per Mag. Dominos Antianos taxari sportulæ eorum arbitrio, & intra idem tempus penes Notarium deponi, ipsis autem MM. DD. non taxantibus liceat parti deponere, vt supra, eas arbitrio iudicantis taxandas, alias si non sint depositæ, non teneatur pronunciare,

&

& nihilominus instantia labatur: Recursus verò, appellatio & nullitatis dictio interponi possit coram vno ex Mag. Dominis Iudicibus Rotæ tantum, etiam si aliorum copia haberi possit.

Possit etiam ad prædictos Mag. Dominos Iudices Rotæ appellationum recursus haberi, & de nullitate dici omniũ, & quaruncunque sententiarum, condemnationum, pronunciarum, grauaminum emanatorum, seu illatorum a quocunque Iudice, seu Officiali, & Magistratu (excepto tamen Magistratu supremo MM. DD. AA.) a quibus Iudicibus, Magistratibus, seu Officialibus quoquo modo prohibita esset appellatio, recursus, seu nullitatis dictio sa'tim in causa, seu respectu causæ, de quo ageretur, generaliter seu specialiter, ad hoc solum, & duntaxat ex defectu iurisdictionis tantum, & non aliter, nec ex alia causa, talemq; articulum & causam recursus, seu nullitatis ex defectu iurisdictionis terminare teneantur infra octo dies, a die, qua partes primo in iudicio comparere deberent, quorum primi quatuor intelligantur, & sint assignati ipso iure partibus ad probandum incumbentia, & alii quatuor Iudicibus ad causam terminandã absq; aliqua publicatione processus, infra quẽ terminum teneantur dictam causam expedire sub pœna scutorum vigintiquinque pro quolibet, eamq; expedire debeant simpliciter solũ affirmando, vel negando, an talis nullitas ex defectu iurisdictionis subsistat, nec ne; nec super alio, aut aliud sub eadem pena non possint se intromittere, & quatenus se intromitterent, & aliter pronunciarent, quàm vt supra, talis pronuncia nullum omino operetur effectũ.

Et si recursum petens, & de nullitate dicens vt supra, succumberet, intelligatur & sit ipso iure, & ipso facto, & sine aliqua declaratione cõdemnatus in scutis quatuor auri pro expensis applicandis parti, a quibus succumbens absolui non possit, & auctoritate præsentis Statuti intelligatur relaxata executio pro dictis scutis quatuor auri, & dicta causa pendente nihil innouandum sit per primum Iudicem, Magistratum, seu officialem facta sibi fide de interpositione legitima dicti recursus, seu nullitatis dictionis.

Cum

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

Cum declaratione, quòd a ſententia duorum tantum infirmatoria, ſeu annullatoria præcedentis detur recurſus ad Mag. Dominos Antianos iuxta modum traditum ſupra in præſenti cap. & infra in cap. 31.

Et omnia ibi dicta circa recurſum quatenus conuenire poſſunt etiam in caſu præſenti locum habeant, & obſeruentur.

Et in caſibus in quibus ſupradictum eſt prohibitam eſſe appellationem, recurſum, & nullitatis dictionem talis prohibitio intelligi debeat ſimpliciter omnimodo & indiſtinctè, ita quòd non ſolum friuola, & calumnioſa comprehendatur, ſed omnis prorſus appellatio, & nullitatis dictio, omni penitus interpretatione reiecta, remanente tamen diſpoſitione circa nullitatem ex defectu iuriſdictionis, de qua ſupra. Et prædicta nullitatis cauſa, ſeu recurſus expediri debeat ſine tranſmiſsione libelli, aut ſolutione datiæ.

De Appellationibus a ſententijs ſuper competentia, & a ſententijs Sindici, & aliorum Magnificorum Dominorum Iudicum Rotæ appellationũ reſpectu proprij, aut particularis officij cuiuſq;. C. 30.

AB omnibus, & quibuſcunque ſententiis, ſeu pronunciis latis ſuper competentia, vel incompetentia Iudicum, tam ciuitatis, quàm territorii, & tam expreſsè latis quàm tacitè per proceſſum ad vlteriora recurſus detur ad Mag. Dominos Iudices Rotæ appellationum infra tempora, & modo, & forma, prout infra diſponetur de recurſu ab interlocutoriis, quæ diffinitiuam poſt ſe non expectant, exceptis tamen caſibus, in quibus eſt ſpecialiter prouiſum, quibus temporibus durantibus inſtantia non decurrat, ſed dictis temporibus tranſactis, vel dicto recurſu non interpoſito, vel cauſa non terminata pronuncia, ſeu ſententia tranſeat in rem iudicatam.

In caſu verò quo aliquis ipſorum Iudicum, vt ſupra reſpectu proprii particularis officii tam ſuper competentia, quàm aliter diffinitiuè, aut interlocutorie pronunciaret appellatio (ſi & vbi appellatio, vt ſupra admitteretur) ſeu recurſus

curſus, vbi recurſus daretur vt ſupra, & in capitulo ſequenti ad alios duos Magnificos Dominos Iudices Rotæ appellationum, & Dominum Auditorem & Iudicem primarum inſtantiarum cauſarum ciuilium eodem modo reſpectiue deuoluatur, & omnia ibi dicta reſpectiuè locum habeant præterquam vbi ſpecialiter in præſentibus capitulis diuerſum ſtatueretur.

De recurſu ab interlocutorijs. *Cap. 31.*

AQuacunque mera interlocutoria a quocunque Iudice tam Ciuitatis, quàm Territorii Lucenſis in quocunque Iudicio lata appellari interdictum ſit. Sed pars aduerſa contra quam lata fuerit, poſsit (niſi ſpecialiter prouideatur vel aliter prouiſum ſit per ſtatuta aut decreta) tàm reſpectu iniuſtitiæ, quàm nullitatis, vel coram Iudice á quo lata fuit, petere reuocationem iuxta modum reuocationis interlocutoriarum, vt in capitulo quinto libro quinto Statutorum, vel infra quinque dies continuos á die interlocutoriæ, & ſcientiæ ſuæ ſiue procuratoris habere recurſum coram Magnificis Dominis Iudicibus Rotæ appellationum, abſque tranſmiſsione libelli & ſolutione datiæ, vel coram vno ex eis tantum, etiam ſi commodè aliorum præſentia haberi poſſet, ſed parti intimari debeat eadem die, vel ſaltim die ſequenti, & cum termino vnius diei vtilis tantum, etiam quòd pars prædicta eſſet abſens, ſeruata in cæteris forma ſtatuti de citatione loquentis, qui Iudices teneantur, & debeant intra tres dies vtiles, ſi ſententia, ſeu pronuncia a qua recurſum ſit præcedat ſententiam diffinitiuam, ſi verò ſententiam diffinitiuam non præcedat, ſeu ſi ſententia diffinitiua minimè expectetur, intra ſex dies vtiles á die primæ comparitionis, quæ fieri deberet, comprehenſis etiam quibuſcumque pronunciis, ſeu ſententiis latis, quouis modo, tam in cauſis præceptorum de dimittendo, quàm in cauſis executionum, tam ſententiarum iudicialium, quàm arbitralium, ſeu arbitramentalium

& lau-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І.МЕЧНИКОВА

& laudorum quorumcunque, & aliarum etiam quarumcunque sententiarum, siue pars compareat siue sit contumax, sub pœna scutorum vigintiquinque auri pro quolibet, pro dimidia parti recurrenti, pro alia verò Magnifico Communi applicanda, etiam sine alia citatione partis aduersæ, ad omnem simplicem requisitionem cuiuslibet partis, super hujusmodi recursu pronunciasse, & quicquid per omnes tres concordes pronunciatum fuerit, omnino valeat, & teneat, & vlterius appellari, quærelari, de nullitate dici, siue recursus haberi non possit. Si autem duo tantum fuerint concordes, & sententia infirmatoria, vt supra, lata sit, nec sententia diffinitiua sequi debeat, detur recursus intra tres dies continuos ad Magnificos Dominos Antianos, iuxta modum traditum supra in recursu a pronuncia de non deferendo appellationi, & omnia ibidem dicta obseruentur etiam in præsenti casu. Si autem sententia diffinitiua expectetur, tunc siue sententia duorum fuerit infirmatoria sententiæ præcedentis, seu non infirmatoria, nullus vlterius recursus admittatur, vt supra.

Et si intra dictum tempus, seu infra tempora prædicta respectiuè, per ipsos Magnificos Dominos Iudices appellationum, seu per Iudicem electum in suo casu, a Magnificis Dominis Antianis non fuerit pronunciatum, pronuncia præcedens firma omnino remaneat.

Petens verò recursum, tam coram Magnificis Dominis Iudicibus appellationum, quàm coram Magnificis Dominis Antianis deponere debeat eodem tempore, & contextu interpositi recursus, in manibus Notarii de recursu rogati scutos duos auri, aliàs eo non deponente, recursus næqueat interponi, & interpositus non possit attendi, nec super eo cognosci, aut procedi, & quatenus recursum petens in eo succumberet, seu non obtineret, intelligatur, & sit sine alia declaratione condemnatus in dictis scutis duobus, qui per notarium solui debeant parti, contra quam recursus fuerit petitus, & ab eis succumbens absolui non possit, & absolutio facta per Iudices ab expensis, dictos duos scutos non compræhendat.

Et

Et nullus recursus peti, vel interponi possit, neque admitti ab aliqua citatione, monitione, & pronuncia, quæ fieret in aliqua causa per aliquem Iudicem post publicationem processus in eadem instantia, non intelligendo tamen de pronuncia ipsius publicationis processus, à qua recurri non sit prohibitum.

Semper autem Iudex teneatur procedere, quousque sibi facta fuerit fides de interpositione recursus.

Et dictis temporibus, vt supra durãtibus, instantia non decurrat. Si vero peteretur executio a domino Auditore, & Iudice primarum instantiarũ causarum ciuilium, seu a quouis alio officiali vigore statuti libro pri. cap. cxi. sub Rub. de executione, & summaria ratione &c. & iuxta formam statuti libro vi. capit. ii. & executio denegaretur, detur recursus ad Magnificos dominos Iudices Rotæ appellationum, qui seruata eadem forma dictorum statutorum, eam concedere, vel denegare debeant, prout sibi iustum videbitur, & si per ipsos, aut duos ex eis fuerit concessa, Iudex seu officialis teneatur dictam capturam relaxare ad requisitionem partis immediatè, & vlterius appellari, quærelari, & de nullitate dici, aut recursus haberi non possit, & hoc casu recurrens non teneatur partem citare, nec duos scutos deponere de quibus supra.

De ordine, & modo seruando ad bancum curiarũ per DD. Iudices Rotæ, Notarios, & Causidicos. *Cap. 32.*

VT ordinatè, & condecenter, procedatur tam per Iudices Rotæ, & Notarios, quàm per causidicos Lucensis ciuitatis, statutũ & ordinatum intelligatur, & sit, quòd Notarii per tempora electi ad officium Mag. D. Aud. Rotæ & Iudicis primarum instantiarum causarum ciuilium, teneantur & debeant (sub pœna priuationis ab officiis vtilitatis per annũ vnum, ad declarationẽ M.D. Priorisi Lucensis ciuitatis, qui secuta denuncia, vel accusatione a quauis persona, cuius nomen retineri debeat secretum, teneatur procedere ad declarationem infra octo dies tunc proximè futuros, procedendo

ſummariè, & de facto, & nullo iuris, aut ſtatutorum ordine ſeruato, ſub pœna ſcutorum vigintiquinque auri, in quibus debeat ſindicari) ſeruare ad bancum curiæ hunc modũ, & ordinem videlicet.

De Menſe Septembris, Octobris, Nouembris, Decembris, Ianuarii, Februarii, & Martii, qualibet die iuridica hora vigeſima.

De Menſe Aprilis, Maii, Iunii, Iulii, & Auguſti, qualibet die iuridica hora decima nona, teneantur ſtatim, & incontinenti poſt pulſationem dictarũ horarum campanæ Palatii Mag. DD. AA. accedere ad bancum curiæ, & Notarius ſenior pulſari facere campanellã ſolitã exiſtentẽ ad feneſtrã Palatii M. D. Prætoris in ſala magna per paruum temporis ſpacium, & Cauſidici pariter teneantur, & Partes etiam, quæ ſine Procuratore vellent comparere, & omnes alij alieno nomine comparentes, pulſata dicta campanella, debeant ſtatim comparere ad bancum curiæ dicti D. Auditoris, & Iudicis primarum inſtantiarũ, & deſcribi facere omnes actus, & comparitiones, quæ, & qui erunt deſcribendi dicta die, (nõ prohibendo per hoc, quin etiã ante dictã pulſationem, & etiam in cãteris deſcribi poſsint) quibus omnibus abſolutis & finitis, iterum debeat Notarius ſenior pulſari facere dictã campanellã ſub pœna ſupradicta, qua pulſata teneãtur, & debeant Mag. Aduocati & cauſidici, ac omnes alieno nomine comparentes, & ipſæmet partes ſtatim, & incontinenti a dicto banco & ſala recedere, & Iudice ſedente non poſsint ſtare ad dictum bancum, nec in dicta ſala, nec alloqui Iudicẽ ſedentem, ſub pœna cuilibet contrafacienti priuationis ab Aduocatione, & officio Procuratoris reſpectiuè per annũ, & omnibus aliis alieno nomine comparentibus, & cuilibet parti, ſub pœna ſcutorum xxv. ad declarationem Mag. D. Prætoris vt ſupra faciendam, & Iudex teneatur ſtatim accedere ad bancum, ſedere, ius dicere, & pronuncias omnes, ac ſententias quaſcunque proferre hoc modo videlicet.

Interlocutorias meras proferre valeat proprio ore, interlocutorias verò labentes vim diffinitiuæ, & diffinitiuas quascunque in ſcriptis proferre teneatur ſua propria manu ſaltẽ ſub-

ſubſcriptas, ſub pœna ſcutorum decem pro qualibet contrauentione, in qua debeat ſindicari. Notarii autem in Manuali teneantur manu propria interlocutorias meras deſcribere, & ſubſcribere, & etiam fidem prolationis cuiuslibet diffinitiuæ, & habentis vim diffinitiuæ ſub pœna vt ſupra.

Et vt ſupra in omnibus, & per omnia obſeruare debeant, & teneantur Iudices appellationum, Aduocati, Procuratores, & alii vt ſupra, ac Notarii, in curia dd. Iudicum appellationum, ſub pœna reſpectiuè vt ſupra, hoc tamen declarato, quòd omnia acta per Procuratores, & alios comparentes alieno nomine, ſeu partes, debeant fieri in cantera Fundaci coram Notariis dictæ curiæ, quibus abſolutis Notarii ſtatim teneantur accedere ad bancum curiæ Dominorum Iudicum appellationum obſeruando in cæteris omnia alia ſupra diſpoſita, & omnes pronunciæ, & ſententiæ tam diffinitiuæ, quàm habentes vim diffinitiuæ & meræ interlocutoriæ, quæ latæ eſſent in cauſis, in quibus pars vel procuraor ea die cõparuiſſet, valeant, & teneant, & omnes, & ſingulos tam Iuris Cõmunis quàm Statutorum Lucenſium conſequantur effectus, ac ſi latæ eſſent præſentibus & audientibus partibus ipſis, ſeu Procuratoribus in ſuo caſu & ſit præſumptio iuris, & de iure, contra quam nulla admittatur probatio in contrarium, quòd eadem die partes ipſæ, ſiue Procuratores in ſuo caſu reſpectiuè de talibus ſententiis & pronunciis ſcientiam & notitiam habuiſſent, ita & taliter ac ſi earum prolationi præſentes, & audientes fuiſſent.

De tempore & loco quibus MM. Domini Iudices Rotæ ſedere teneantur Cap. 33.

TEneantur prædicti Mag. Domini Iudices Rotæ appellationum, & Dominus Auditor, & Iudex primarum inſtantiarum cauſarum ciuilium, & quilibet eorum in Palatio eorum reſidentiæ conſueto ſedere in ſala, & ad bancum reſpectiuè ſolitum, & ibi ius dicere ſemel quacunque die exceptis tamen diebus feriatis, de quibus fit mentio in libro primo, cap. 12. & libro tertio, cap. 35. Statutorum, &

exceptis

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

exceptis diebus, quibus cõficitur tasca MM. DD. AA. & die qua creatur M.G. Cõsilium, & exceptis diebus Martis, & Veneris cuiuslibet hebdomadæ, pro quibus cõuocari cõtigerit præfatum Mag. Consilium, & die mercurii, quo conuocabitur loco diei Martis, & die Iouis, quando cõuocabitur loco veneris, & exceptis etiam omnibus aliis diebus, in quibus conuocabitur in vesperis, & exceptis diebus ingressus MM. DD. Antianorum, & quando dicti Mag. Domini Iudices associant ipsos Mag. Dominos Antianos extra Palatium, exceptis etiam decem diebus proximè præcedentibus diem cineris, causa carnis priuii, & ipsa die cineris, & exceptis omnibus diebus, a die quintadecima Iulii inclusiuè vsq; ad diem decimam sextã Augusti inclusiuè cuiuslibet anni, causa æstus, quibus diebus carnis priuii, & æstus, vt supra, durantibus intelligantur, & sint feriæ repentinæ, perinde ac si essent in dictæ a Mag. Dominis Antianis: Ita quòd omnia disposita, & statuta circa ferias repentinas procedant, & habeant locum in ipsis temporibus, & exceptis omnibus aliis diebus, in quibus per Mag. Dominos Antianos fuerint in dictæ feriæ repentinæ iuxta formam Statutorum, dummodo generaliter sint indictæ, & etiam comprehendant omnia tribunalia ciuitatis, & non aliter, nec alio modo, & omni penitus abusu circumscripto.

Feriæ autem messium, & vindemiarum inductæ, tam ex forma Statutorũ, & decretorũ, quàm iuris cõmunis obseruẽtur, vt per statuta dispositum est, & nõ aliter, nec alio modo.

Nec ipsi, aut aliquis eorum valeat se excusare a sedendo, & reddendo iure, diebus, & temporibus ordinariis, vt supra, etiam sub prætextu alicuius particularis officii, seu prætensæ necessitatis incumbentis eorundem officiorũ causa, etiã ex causa accedẽdi ad locum differentiæ, quia disponitur alia esse expedienda diuerso tempore, ab eo, quo sedere debeant pro iustitia administrãda, & pro eorum principali munere.

Nec etiam excusentur propter absentiam Notariorum, vel Procuratorum, sed ipsis præsentibus vel absentibus, nisi alia causa subsit, ex qua per statuta aut præsentia capitula a sedendo abstinere permittatur, sedere debeant, vt supra, tempore

pore ordinario, & per tempus ordinarium & opportunum, ita & taliter quod omnes & singulas causas, seu circa eas incumbentia sigillatim expediant, & Notarii causarum quarũcunq; respectiuè, sub infrascripta pœna, propterea ad banc permaneant & quatenus ante expeditionem omnium causarum, vt supra, descenderent, vel Notarii prædicti aut aliquis eorum discederet, adeò quòd inde talis expeditio cessaret, vltra interesse partium, si de alicuius interesse ageretur, semper, & omnino, etiam quòd inde nullum alicui præiudicium fieret, puniantur in scutis decem pro quolibet sic descendente, seu discedente, vt supra, quam pœnam etiã incurrant, descendendo facta prorogatione generali seu particulari alicuius actus, vltra quàm per statuta expressè declaretur fieri posse, quia penitus interdicitur maiores seu plures dilationes expresè, vel tacitè, generaliter, seu specialiter concedi, aut concessas prorogari, vel vlterius pronuncias differri, & incumbentia expeditioni causarum, seu alicuius causæ protelari, quàm per formam præsentium capitulorum, & dispositionem statutorum, ac decretorum, quatenus præsentibus non contrarientur, declaretur, sub pœna prædicta scutorum decem auri, & omni penitus abusu reiecto.

Et debeant Notarii curiæ dictorum officialium, & senior Notarius omnino teneatur sub eadẽ pœna scutorum duorũ vt supra, statim cum a dictis officialibus contrafactum fuerit in non sedendo, vt supra, eadem die ipsum officialem punctare, & transmittere punctatum Cancellariæ Magnificorum Dominorum Antianorum, cuius rei plena fides Notario adhibeatur, & Cancellarius, cui erit datus punctatus, teneatur sub eadem pœna condemnationem prædictam statim ponere ad computum salarii talis officialis contrafacientis & nõ possit excusari nisi per Mag. Dominos Antianos vt supra.

Et quolibet semestri per officium eligi solitum ab Honorando Consilio XXXVI. Ciuium super reuisione, & sindicatu Spect. officii super grascia, reuideri debeant libri Notariorum curiæ Dominorum Auditorum Rotæ appellationum, & Iudicis primarum instantiarum, & punctorum cancellariæ, & de obseruantia vel inobseruantia contentorum

tentorum in præsenti capitulo, in scriptis relatio fieri in simul cum relatione spectabilis officii super grascia Magnifico Consilio Generali videlicet.

An iuxta dispositionem statutorum Notarii scripserint dies vtiles, & inutiles, an ea die qua Iudices sedere debuissent & non sederint, seu aliquis eorum non sederit, an senior Notarius, vel alii qui tenentur, vt supra, punctauerint, & punctatos transmiserint vt supra, & an Cancellarii dictam summam salario contrauenientis imputauerint simul cum pœna cuiuslibet prædictorum.

Et vt possint per Magnificos Dominos Antianos excusationes ex causa de qua supra admitti, teneantur Cancellarii intra tres dies proximos notificare cuilibet ex prædictis Iudicibus omissionum huiusmodi denuncias, & notam, seu vt dicitur puncta, & prohibeatur sub eadē pœna pūcta prædicta cassare, nisi de mandato Magnificorum Dominorum Antianorum partito mediante, & infra quatuor dies tantum a die notificationis, quæ per eosdem debeat omnino describi pro vt supra, quibus diebus elapsis nulla prorsus excusatio admittatur, etiam per ipsos Magnificos Dominos Antianos, & prædicta non derogando oneri iniuncto fiscalibus.

Quod actor qui fecit causam minorem non appellet. *Cap. 34.*

QVando in primo iudicio data fuerit soluta pro minori summa florenorum xxvi. ad rationem bononenorū xxxvi. pro quolibet floreno, appellatio dictæ causæ pro parte actoris nullo modo admittatur, etiam quod grauamen excederet dictam summam, ex parte vero rei, si grauamen excedat summam florenorū xxv. ad xxxvi. respectiuè, admittatur appellatio iuxta formam statutorum & præsentium capitulorum, dummodo expensæ litis in dicto grauamine non computentur.

Et quando in principali causa factum, vel interesse fuerit extimatum maiori summa florenorū xxv. vt supra tunc in causa appellationis a quacunque sententia lata in huiusmodi causa, nō possit opponi per appellatum siue fuerit actor siue reus

reus grauamen non excedere dictam summam florenorum xxv. & si talis oppositio fieret, ea non obstante appellatio admittatur.

De modo, & forma producendi, & admittendi Capitula, & contra ipsa opponendi, *Cap. 35.*

NVllus Iudex appellationis Lucensis Ciuitatis possit admittere aliqua capitula in vim articulorum cum clausula, saluo iure impertinentium, & non admittendorum, nec super illis testes examinare, cum declaratione, quòd si non fuissent examinandi non faciant probationem, vel sub alia conditione, non obstante stilo vel consuetudine hucusque forsan in contrarium obseruata, sed productis capitulis in quacunque causa appellationis, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, seu mixtis pars aduersa, seu eius Procurator possit infra duos dies vtiles immediatè sequentes opponere contra dicta capitula quascunque exceptiones dummodo particulariter, & in specie, aliàs habeantur pro non oppositis, eisq; non obstantibus capitula intelligantur, & sint admissa.

Et opponens exceptiones ipso tempore oppositionis, teneatur talium oppositionū duas cædulas, necnon capitula eadem vel contraria, quæ allegaret, vnà cum dictis testium super eis examinatorum realiter, & cum effectu producere, aliàs Notarius productionem describere non possit, & capitula pro admissis habeantur, & sint. Facta autem productione, vt supra, teneatur Notarius exhibere, & tradere, etiam sine aliqua requisitione, ipsa eadem die vnam ex prædictis cædulis Iudicibus, vnà cum capitulis, & dictis testium, vt supra producendis, talemq; traditionem in actis describere, sub pœna ipsi Notario pro qualibet contrauentione, & ommissione scutorum decem auri, applicandorum pro dimidia parti, pro dimidia Mag. Communi.

Et Magnifici Domini Iudices Rotæ, post oppositionem, vt supra factam teneantur dicta capitula intra duos dies vtiles admittere vel reiicere, sub pœna scutorum vigintiquinque, pro quolibet, & qualibet vice, vt supra applicanda, a qua pœ

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І.МЕЧНИКОВА

na non excusentur, nisi quid super quolibet capitulo sentiant specialiter, & expresse pronunciauerint, & nisi copiã talis pronunciæ pœnes Notarium incontinenti dimiserint, qui Notarius ipsa eadem die vel saltem sequenti, copiam talis pronunciæ cuilibet parti ad omnem simplicem eius requisitionem, sub pœna prædicta scutorum decem, dare teneantur.

Et casu quo intra duos dies vtiles post productionem capitulorum immediate sequentes, per partem aduersam nihil cõtra ipsa capitula opponeretur, seu particulariter, & specialiter oppositio non fieret, capitula ipso iure admissa intelligantur, & sint in vim articulorum, & positionum, & testes super eis recipi ac examinari possint.

Et prædicti duo dies vtiles, siue quatuor in suo casu tam de termino probatorio, quàm de reprobatorio in suo casu pro qualibet cedula capitulorum de instantia detrahantur, & alii vel vlteriores dies detrahi non possint.

Coram vero Domino Auditore & Iudice primarum instantiarum causarum ciuilium, instantia non suspendatur per disputationem super capitulorum, aut positionum admissione, sed tam in causis ordinariis, quàm executiuis coram eo vertentibus capitula statim, & ipso iure intelligantur admissa, saluo iure &c. Ita quòd si non erunt admittenda testes super eis examinati nullam fidem faciant, aut probationem, nec aliquam præsumptionem, nec animum Iudicis mouere possint, aut super eis aliquod fundamentum fieri, sed intelligantur, & sint extra processum, & perinde ac si non essent examinati. Vtrum autem, & quæ sint admittenda, vel non admittenda teneatur Iudex, sub pœnis prædictis applicandis, vt supra, quandocunque in quacunque parte iudicii vsque ad publicationem processus exclusiue ad requisitionem cuiuslibet partis declarare intra tres dies vtiles a die requisitionis, sub pœna scutorum decem, absque aliqua suspensione instantiæ, aut termini probatorii, & reprobatorii in suo casu.

Quo ad positiones firma remanẽte dispositione statuti, quod super eis sit pronunciandũ simpliciter, & intra biduũ, & quatenus præsentib. Cap. non cõtrariantur. Factis aũt oppositionib.

per

per partem coram Mag. Dominis Iudicibus appellationum Iudex testes examinare, & Notarius describere non possit examina super capitulis ante eorum admissionem, sub pœna scutorum sex pro quolibet eorum, & talibus attestationibus fides aliqua præstari non possit, nec super eis aliquo modo fundamentũ fieri, sed intelligantur, & sint perinde, ac si testes huiusmodi non essent examinati, & essent extra processum.

Et in causis appellationum nequeant produci, nec admitti cedulæ Capitulorum vltra duæ pro qualibet parte in toto termino probatorio, & duæ in reprobatorio, sub pœna scutorum decem tam parti producenti, quàm cuilibet ex iudicibus appellationũ, parte reclamãte, admittenti qualibet vice.

Quòd examen describi non possit, nisi per Notarium causæ Cap. 36

NEmo possit examina testium describere tam in Ciuitate, quàm in territorio, nisi Notarius causæ, vel alius Notarius eiusdem curiæ, qui manu sua propria ea scribere teneatur in libro examinis, & aliter descripta, quàm a præfato notario sint ipso iure nulla, & non faciant aliquam probationem, & Notarius talis causæ teneatur ad interesse, & damna partis pro qua dicta examina describere debebat, & vlterius tam Iudex, seu Officialis examinans, quàm ipse notarius, permittentes per alios examina describi quàm supra ordinatum est, incidant in pœnam scutorum xx. pro quolibet, & qualibet vice applicandam parti læsæ, in qua debeant condemnari quo ad notarium per Mag. D. Lucen. Prætorem infra tres dies a die requisitionis, & quo ad D. Iudicem, seu Officialem per Magnificos Dominos Antianos, & retineri de eorum Mandatoria.

Et filiis Doctorum legum, & Procuratorum viuentium nõ possint extrahenda committi dicta testium per notarios siue alios de eorum mandato, neque per ipsos extrahi, aut exemplari ante publicationem processus, sub pœna, quo ad notarium scutorum xx. quo ad Copistam scutorum x. applicanda pro dimidia parti contra quam examina fierent, seu facta essent, pro alia dimidia Mag. Cõmuni. in quas pœnas tam pen

 dente

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

dente iudicio quàm lata sententia infra sex menses, ad petitionem dictæ partis, seu Aduocati, aut Procuratoris fiscalis sum mariè, & infra decem dies continuos, a die talis petitionis per Iudicem, seu Iudices, coram quibus causa agitaretur, seu per quos fuisset expedita condemnari debeant, & pro sic condemnati, ad Archiuium transmitti per Notarium de condemnatione rogatum eadémet die, vel saltem die sequenti, sub prædicta pœna applicanda, vt supra, non derogando his, quæ supra in Capitulo de oneribus fiscalium dicta sunt.

De Copistis. *Cap. 37.*

NVllus Copista, siue alius, qui seruiat alicui Notario pro copiandis, aut describendis actis, possit quomodocunq; aut qualitercunque officium Procuratoris, seu sollicitatoris exercere in curia, in qua describit acta, aut extrahit copiam actorum, tam in Ciuitate quàm in territorio, sub pœna scutorum xx. pro qualibet contrauentione, applicanda pro dimidia accusatori, cuius nomen retineri debeat secretum, & pro alia dimidia Mag. Lucensi Cõmuni, ad declarationem Mag. Domini Lucensis Prætoris, quam facere teneatur infra octo dies a die sibi factæ accusationis vel notificationis per accusatorem, cuius nomen teneatur describere, & penes se secretũ tenere, a qua declaratione non possit appellari, aut de nullitate dici, siue aliquis alius recursus haberi.

De testium Iuramento, & quid Notarius facere teneatur, Cap. 38

TEstes nominati tam in causis principalibus, quàm appellationum in ciuilibus tantũ, & tam in Ciuitate, quàm in districtu Lucensi vertẽtibus iurare possint in manibus Notarii, & coram eo, & quocunque loco, & tempore etiam in honorem Dei feriato, dummodo iurent in termino probatorio, aut reprobatorio respectiuè, aut dictorum terminorum prorogatione iuramentumq; præfatum valeat, & teneat, ac si legittimè, & secundum formam Statuti, lib. pri. cap. 76. delatum esset, nõ obstante contraria dispositione prædicti Statuti in cæteris tamen partibus eo firmo remanente.

Et

Et Notarius teneatur describere diem examinationis in examine cuiuslibet testis, sub pœna scutorum decem applicandorum pro dimidia parti, contra quam examineretur, pro dimidia Mag. Communi, pro quolibet teste sine die examinato, & Iudex causæ sit Iudex competens in condemnatione, absque aliquo processu, & etiam lite pendente.

Nec possit Notarius alicui ex partibus etiam publicato processu, nec etiam Iudici, aut Iudicibus dicta testium tradere, nisi prius fuerint, vt dici solet; *scontrata*, & publicata, vel saltem subscripta a Notario de eis rogato, sub pœna scutorũ quinque qualibet vice, qua contrauenirent, applicanda Mag. Communi. Et Iudex nequeat fidem adhibere dictis testium, quæ non fuerint saltem subscripta per Notarium.

Non liceat etiam Notariis prædictis in attestationum copia extendere narratiua, & generalia, nisi in primo teste ante primum capitulum, & ibi ita restrictè, vt primam faciem cartæ non excedat, in aliis autem sequentibus capitulis apponere debeant solum nomen, & cognomen testis, numerũ articuli, super quo examinaretur, videlicet, super primo 2. & 3. &c. & diem examinationis, alia vero generalia intelligantur apposita, nec relinqui possit carta in albo.

Et successiue extendant diligenter dicta testium super articulis, & interrogatoriis, sub pœna cuilibet contrafacienti, scutorum decem, & sub eadem pœna teneatur, & debeat Iudex interrogare omnes testes super interrogatoriis sigillatim ad petitionem tamen partis, & Notarius similiter describere sigillatim, tam interrogatoria quàm responsiones iuxta modum traditum supra in criminalibus in cap. 15. quod cap. etiã obseruetur in ista parte in causis ciuilibus, reseruato tamen Iudici arbitrio interrogatoria resecandi ex forma statutorum sibi concesso, de qua resecatione apparere debeat in actis.

Et omnes Notarii teneantur & debeant sub pœna scutorum quinquaginta auri applicandorum pro dimidia Magnifico Communi, & pro dimidia accusatori, in omnibus, & singulis causis tam ordinariis, quàm extraordinariis, & delegatis, & tam in Ciuitate, quam in territorio, in quibus vigore alicuius officii interuenient, infra mensem proximum

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ІМЕНІ І. МЕЧНИКОВА

mum a die finiti officii cuiuscunque respectiué, in aliis autem cuiuscunque generis etiam compromissariis inconti-nenti, vel saltem a die publicationis processus vel habiti pro publicato infra mensem tunc proximum, deponere in Archiuio publico examina testium etiam originalia, de quibus fuerint rogati eorum propria manu scripta, & subscripta, sicut tenentur deponere libros actorum dicti officii, ibi per custodes custodienda in loco ad id deputato, nomine tamen ipsius Notarii.

Nec possit ipsorũ copia extrahi, aut alicui tradi, nec ea alicui ostendi, aut legi, aut permitti, quod legantur, nisi de consensu, & voluntate ipsius Notarii eo viuente, & quatenus ipse Notarius adsit in Ciuitate, si vero sit extra Ciuitatem, de consensu Notarii Archiuii, qui possit copiam subscribere, & publicare, & debeat habere pro sua subscriptione bononenos quatuor tantum, & Notarius de examine rogatus, debeat habere eius mercedem, quæ solui debeat in manibus Custodum Archiuii ad hoc, vt solui per eum possit Notario de examine rogato, possit tamen, & debeat copia extrahi, semper, & quando extrahi contigerit, per copistas in dicto Archiuio deputatos, nisi aliter conuenerint: Notario autem mortuo obseruentur omnia, quæ obseruari debent de instrumentis, & testamentis Notariorum defunctorum, secundũ Statuta, & decreta, sub pœnis de quibus in eis. Sed si contigeret Notariũ de examine rogatum mori ante publicatũ processum, seu habitum pro publicato, obseruentur etiã circa dicta examina omnia, quæ obseruari debent circa instrumẽta, & testamenta vigore Statutorum aut decretorum, sub pœnis de quibus in eis, debeant tamen custodes dicta examina in dicto casu secretè custodire, & nemini propalare donec fuerit publicatus processus, vel habitus pro publicato, sub pœna inquam inciderent, si ipsi custodes de eis rogati essent.

De Mercede Notarij pro examine, *Cap.* 39.

NE partes grauentur duplici impensa decretum sit, quod de omnibus examinibus productis in quocunq; iudicio non rogatis a Notario causæ, vel eius substituto talis notarius vel

vel substitutus nil accipere, aut petere possit nisi bononenos tres pro actu productionis talium testium examinatorum, de copia autem nihil accipere valeat vltra mercedem copistæ, quæ sit de bononeno vno pro qualibet carta.

Et mercedes Notariorũ in quibuscunq; causis extraordinariis, vel delegatis regulentur omnino secundũ mercedes causarũ ordinariarũ illius Officialis, cui sit delegatio, sub pœna scutorũ x. pro quolibet, & qualibet vice applicanda pro dimidia parti, & pro alia dimidia fisco, in quam pœnam Notarius debeat condemnari statim constito de contrauentione per Iudicem causæ infra quatuor dies continuos a die petitionis.

Qualiter stilus, pratica, consuetudo, sit probanda, *Cap.* 40.

NVllus stilus, vsus, & pratica curiæ, nec alia quæcunq;, tã quò ad ordinẽ procedendi, quàm quò ad decisionẽ causarum, quàm etiam alterius cuiuscunq; generis, probari, aut vllo modo admitti possit, nisi probaretur per testes legitimè iuratos, & examinatos, seu per publicũ instrumentũ, & nõ per subscriptionẽ alicuius, remouendo omnem abusum, stilum, seu consuetudinem in contrarium forsan hucusq; inductam.

Et si dominus principalis contrafaceret perdat causam, si vero procurator suspensus sit ipso iure ab officio Procuratoris per duos annos, & nihilominus Iudex non possit se fundare in stilo aut pratica contra ordinem suprascriptum probata, & contra faciens vlterius incidat in pœnam scutorũ xxv.

De modo probandi ætatem per librum baptismatis, *Cap.* 41.

VT facilius ætas probari possit, statutum intelligatur, & sit, q̃ fides per Notarium extracta ex libro baptismatis, faciat plenam probationem quo ad ætatem, & quod ille sit liber baptismatis, non derogando aliis probationibus inductis a iure communi, & a forma statutorum.

Qualiter, & quãdo mãdata, & alia instrumẽta producẽda sint. C. 42.

PRocurator actoris, tam in causis principalibus maiorib. quàm appellationum in ciuitate Lucen. vertentibus, teneatur die prima comparitionis suæ, suum mandatum in publicam

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ... імені І. МЕЧНИКОВА

blicam formam, cæteratum, seu extensum producere, & in actis eadem die, vel saltim infra quatuor dies continuos proxime futuros debeat registrari.

Et pariter procurator rei dicta eadem die primæ comparitionis, vel saltem die sequenti iuridica, debeat eius mandatum, vt supra, producere, & in actis registrari, vt supra.

Et Notarius non possit describere in actis, nec se rogare de aliqua productione mandati, aut aliorum instrumentorũ vel scripturarum, tam priuatarum, quàm publicarum, nisi realiter, & cum effectu fuerint exhibitæ, & relaxatæ, & apud eum remaneant, sub pœna scutorum xx. applicanda pro dimidia parti, & pro alia dimidia Mag. Communi, nisi quandocunque, & quotiescunque a parte, contra quam productio facta esset requisitus ipsa eadem die, qua fuerit requisitus vel saltim die sequenti, omnia & singula, quæ in actis dicerentur producta, dictæ parti, seu eius Procuratori, seu Aduocato videnda, & legenda exhibuerit, soluta tamen debita mercede, & de hoc quælibet requisitio sufficiat, & omnia, & singula producta remanere debeant penes ipsum Notarium, nec ea, aut aliquam eorũ partem restituere possit, nisi lata sententia, & finito iudicio, in quo fuissent producta, non prohibendo propterea, quin ea tradere possit, quandocunq; Iudici de causa cognoscenti, & hæc si ipse producens non petierit per eum producta in actis registrari, si enim hoc petierit teneatur Iudex id mandare Notario cum termino eius arbitrio (dummodo spatium quatuor dierum continuorum non excedat) infra quem debeat Notarius omnino registrasse, & parti restituisse sub pœna scutorum quatuor, nisi tamen sint huiusmodi, quæ verisimiliter non possint infra dictum tempus registrari ipsius Iudicis arbitrio, quibus registratis Notarius ab onere prædicto excusetur.

Et si actoris Procurator mandatum non produxerit, vt supra in dicto iudicio, & processu, vlterius non audiatur, & similiter si Procurator rei mandatum, vt supra, non produxerit vlterius non audiatur, & contra eorum, & cuiusque eorũ in suo casu principalem procedatur tanquàm contra contumacem iuxta forma Statutorum.

Et

Et Notarius non possit aliquid nomine Procuratoris, actoris, siue rei in suo casu scribere, qui realiter sibi non exhiberet, & relaxaret mandatum, vt supra, sub pœna prædicta, & scutorum viginti, in quam pœnam etiam incurrat, si mandatum prædictum intra dicta tempora non registrasset, vt supra, & prædicta omnia locum habeant in causis singularium personarum tantum: Insuper mandatum in principali causa productum, quatenus sit ad appellandum, & idem Procurator in causa appellationis compareat, iuuet etiam ad prosequendum, nec sit opus nouo registro in causa appellationis si semel fuerit productum in causa principali.

De pœnis quibusdam parti applicandis, & de Capitulo ad excitandam, Cap. 43.

REmedium Cap. xi. lib. primo Statutorum, sub Rubrica de eo, quo'd Officiales teneantur modo, & forma prout in eo, procedat, & habeat locum in causis etiam in quibus non esset assignatus terminus Iudici, aut iudicibus, ad aliquid faciendum.

Et pœna de qua in Statuto capitulo 70. libro primo de pœna negantis positiones, ac etiam pœna de qua in Statuto Cap. 96. eo libro de testibus, qui extra territorium, &c. applicata intelligatur pro dimidia parti, pro dimidia Mag. Communi.

De pœnis Iudicum propter ommissiones. Cap. 44.

ET quia per formam Statutorum, & præsentium Capitulorum Iudices, aliquando tenentur aliquid facere, sub certa pœna si illo facere ommisserint ex dolo, vel lata culpa, aut eorum negligentia debeant sindicari in pœnis taxatis a Statutis, & in præsentibus Capitulis remoto omni arbitrio sindicatorum, & abrogata omni interprætatione, & consuetudine, vel stilo dictorum Statutorum, & possit pars etiam fisco non instante instare, quod pœna exigatur, & talis exactio fiat ad eius vtilitatem.

De inhibitorijs non concedendis sine causæ cognitione. *Cap.* 45.

NOn possit etiam aliquis Iudex appellationis concedere, aut emittere inhibitoriam, siue suspensoriam, vel præceptum alicui Iudici, vel officiali Ciuitatis, seu territorii Lucensis, quòd in aliqua causa non procedat, nisi cum causæ cognitione, & omnis inhibitio, suspensio, aut præceptum aliter concessum, aut emissum, sit ipso iure nullum, & nihilominus Iudex concedens puniatur in scutis xxv.

Et Mag. Domini Antiani nequeant omnino inhibitoriam concedere propter absentiam Aduocati, vel Procuratoris ex causa reipublicæ impediti, nisi intra octo dies immediatè sequentes a die discessus talis Aduocati, vel Procuratoris, & aliter concessa instantiam non suspendat, & vlterius teneatur is, qui eam obtinuerit, ipsam præsentare infra octo dies a die impetrationis, & postea producta non profit, & instantiam non suspendat.

Item dictæ inhibitoriæ, vt supra concessæ, & præsentatæ non operentur, nisi tantummodo vsque in quadraginta dies a die præsentationis continuos, nec possint propter eandem absentiam in eadem causa, nisi semel concedi, & aliter concessæ, seu admissæ instantiam non suspendant, & Aduocatus seu Procurator, qui vt supra inhibitoriam postularet, teneatur iurare tactis scripturis, quod in omnibus causis, quas præsentauerit re vera sit & fuerit, Aduocatus, vel Procurator ante eius electionem, & Cancellarii diem talis præsentationis teneantur describere in Manuali cancellariæ.

Iudices teneantur dare dubia, *Cap.* 46.

TEneantur iusuper Mag. Domini Iudices Rotæ, & Dominus Auditor & Iudex primarum instantiarum causarum ciuilium respectiuè, sub pœna scutorum viginti pro quolibet, & qualibet vice in causis maioribus coram eis vertentibus parti, quæ, quòd ad D. Auditorē & Iudicem primarū instantiarū causarum

causarū ciuilium transacto termino reprobatorio intra duos dies vtiles produceret totū processum, dicta testiū, & omnia iura in causa producta vnà cum informatione facti, & allegationibus iuris, & peteret dubia, & quo ad Mag. Dominos Iudices Rotæ appellationum, quæ in termino septem dierum assignatorum pro causæ conclusione, processum, & iura, quæ producere voluerit, vt supra, cum informatione facti, & allegationibus iuris dictis iudicibus præsentauerit, vnà cum petitione dubiorum, illa semel ad minus inscriptis dare infra quatuor dies vtiles, D. Auditor Rotæ, & Iudex primarū instantiarum causarum ciuilium a die dictæ petitionis, Mag. DD. Iudices appellationū a die transacti dicti termini septem dierum, allegando in illis leges, & doctrinas claras & apertas, nec satis sit, si dicant se omnino nihil in causa dubbii habere, & debeant expectare solutionem per quatuor dies vtiles, quibus durantibus instantia non decurrat, dummodo de petitione dubiorum, & de ipsorum data in actis appareat, aliàs nō intelligatur suspensa, & vbi tempus ad reprobandum non daretur, in causa principali petitio dubiorum fieri debeat intra duos dies post publicatum processum, sed vbi processus non publicaretur infra duos dies immediatè præcedentes quatuor postremos instantiæ, aliàs autem, & vlterius Iudices non teneantur motiua proponere.

Quòd omnes Iudices teneantur sententiare, & qualiter, *Cap.* 47.

IN quacunque causa appellationis tam a diffinitiua, quàm ab habente vim diffinitiuæ, & tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, & mixtis, ambæ partes possint post publicatum processum causæ, seu habito pro publicato, & post lapsum termini reprobatorii in suo casu, intra quatuor dies vtiles immediate sequentes deducere, allegare, & producere omnia, & quæcunque sua iura, quibus in causa vti voluerint, quibus transactis intra alios tres dies vtiles proximè sequentes possint etiam deducere, & producere quascunque scripturas contra producta, dummodo aliqui testes non possint admitti, & examinari etiam ad corroborationem iurium producto-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

ductorum, sed his tribus diebus vltimis elapsis intelligatur, & sit in causa conclusum, & nihil quomodocunque etiam ad corroborationem iurium productorum per partes deduci, allegari, & produci valeat, & omnis probatio deductio, & allegatio, quæ fieret lapso dicto termino intelligatur, & sit nulla, & facta non releuet, nec per Iudices, & Notarios admitti aut recipi valeat, nec in sententiando super ea fieri possit fundamentũ vllo modo, immo dicti domini Iudices elapsis dictis tribus diebus non sint amplius Iudices in illa causa, & pœnitus careant iurisdictione, etiam in emergentibus annexis, & connexis, præterquàm in sententia proferenda super meritis causæ, & lapsu instantiæ.

Generalis tamen productio iurium comprehendat omnia, & singula iam producta, etiam in alia instantia.

Et productiones fiendæ in dicto termino respectiuè fieri debeant realiter, & cum effectu ad bancum curiæ, & Notario omnia producta relaxari debeant, & productio modo aliquo per Notarium in actis curiæ non describatur, nisi realiter, & effectualiter facta fuerit, & nisi producta ipsi Notariis relaxata fuerint, sub pœna scutorum decem pro quolibet, & qualibet vice applicanda pro dimidia parti, pro alia Mag. Communi.

Prædictis verò septem diebus vtilibus elapsis Mag. DD. Iudices Rotæ appellationum, teneantur infra tempus instantiæ diffinitiuam vel habentem vim diffinitiuæ protulisse, etiam si nullum interesse alicuius partis verteretur, parte tamen petente, sub pœna scutorum quinquaginta pro quolibet applicandorum, pro dimidia parti appellanti, pro alia verò Mag. Cõmuni, & vlterius teneantur ad expensas damna, & interesse ipsius partis, de quibus stari debeat eius iuramento, Iudicis taxatione præcedente, a qua pœna non excusentur, nec possint defendi, nisi duo saltem ex eis in sententia concordauerint, quod etiam intelligatur generaliter dispositum, tam in diffinitiuis, seu habentib. vim diffinitiuæ, quàm in interlocutoriis, & recursibus, & tam in causis ordinariis, quàm delegatis, & aliis quibuscunque, vt non dicatur sententiatum, seu pronũciatũ fuisse, nisi duo ad minus ex eis fuerint in sentẽ

tia,

tia, aut pronuncia concordes, nec a pœna sub qua tenerentur sententiare aut pronunciare excusentur, firma remanẽte dispositione cap. 48. sub Rub. sententiã diffin. &c. & intelligendo tantum, quando omnes, videlicet tres, qui iudicare deberent essent in Ciuitate, & iudicandi officiũ actualiter exercerent

Et casu quo post publicatum processum, & lapsum termini reprobatorii in suo casu non supereressent de instantia dies xv. vtiles (si tamen aliquid de instantia vltra diẽ d. publicationis, seu termini reprobatorii in suo casu supereresset, & nõ aliter) intelligantur dies, qui ex dicto termino deessent, quatenus deessent vsq; ad ipsum terminũ, & vt ipsum cõficiant superadditi.

Sed elapso termino instantiæ, seu dictorum quindecim dierum in suo casu, si non fuerit lata sententia, instantia appellationis intelligatur, & sit omnino perempta, & appellans in expensis sine alia declaratione condemnatus, non derogando aliis, quæ in præsentibus capitulis dicuntur.

Teneantur etiam, quando per appellatum opponeretur appellationi non esse deferendum talem articulum terminasse, & decidisse intra tempus sex dierum vtilium a die dictæ oppositionis, sub pœna prædicta, qui dies decursi detrahantur de instantia, nec possint aliquo modo etiam de consensu partium talem articulum reseruare in diffinitiua, sed reseruando expresè vel tacitè incurrant pœnam prædictam, & nihilominus talis reseruatio non valeat, nec operetur effectum, sed intelligatur appellationi delatum.

Sententiam diffinitiuam quot Iudices possint proferre, Cap. 48.

IN quibuscunque causis coram Mag. Dominis Iudicibus Rotæ appellationum, quomodocunque, & qualitercunque vertentibus, præfati Mag. Domini Iudices, vel saltim duo ex eis, tertio legittimè impedito, prout infra, & per capitula disponitur, teneantur, & debeant sedere ad bancum curiæ, ius dicere, & procedere vsque ad sententiam diffinitiuam vel habentem vim diffinitiuæ exclusiuè, sed ad proferendam diffinitiuam, vel habentem vim diffinitiuæ debeant omnes interuenire.

Et si

Et si forte vnus ex eis esset impeditus, & esset in Ciuitate, aut territorio, posit, & teneatur votum suum dare in scriptis proferendum per Notarium causæ vnà cum sententia aliorũ, sed si vnus sit adeo infirmus, quòd votum suum dare nequeat, duo alii sententiam ferre possint, & talis sententia teneat, ac si omnes tres interuenissent, cum hac tamen declaratione, ꝙ si esset infirmatoria, seu reformatoria in parte substantiali primæ sententiæ, licet essent concordes, detur ab ea appellatio, vt in aliis capitulis dictum est, sin autem essent aliqua in parte discordes, vel in totum, tali casu sententia non valeat, & debeat expectari valetudo tertii Iudicis, vt legitimè possit pronunciari, & interim non currat instantia etiam die latæ sententiæ, immò intelligatur, & sit suppleta vsque in dies quatuor vtiles, & nihilominus Iudex infirmus iurare teneatur in manibus Notarii ad sancta Dei Euangelia se esse taliter infirmum, quòd votum suum dare non possit, quod iuramentũ scribi, & registrari debeat in actis per Notariũ curiæ.

Sed si vnus esset absens a ciuitate cum licentia Mag. Dominorum Antianorum, aut Mag. Generalis Consilii, vel adhuc non venisset, vel quouis modo non adesset, aut deficeret, vel quouis modo, aut quauis causa officium ipso Iudice vacaret, duo ex eis cõcordes decidere, & sententiam proferre possint, sed si fuerit infirmatoria, seu reformatoria in totum vel in parte, ab ea respectiuè detur appellatio, vt supra dicitur, quando vero non conuenirent, expectari debeat tertius prout supra.

De discordia autem assertioni ipsorum vel alicuius eorum non stetur, sed eum effectu per prolationem sententiæ apparere debeat.

Et prædicta etiam in interlocutoriis, quatenus conuenire possint, obseruentur, & in his tantũ casibus, in quibus duo ex eis concordes non fuerint pœna de qua supra locũ nõ habeat.

Quòd Iudices iurare nequeant de causa non liquere. Cap. 49.

NOn possint sub pœna scutorum quinquaginta Domini Iudices Rotæ, & Mag. D. Prætor, aut aliquis eorum iurare sibi de causa non liquere in aliqua quauis causa siue ordinaria, siue extraordinaria, aut delegata.

Mag.

Magnifici Domini Iudices Rotæ Decisiones exhibeant, Cap. 50.

TEneantur Mag. Domini Iudices Rotæ eadem die, qua proferrent eorum sententiam diffinitiuã, seu habentem vim diffinitiuæ in causis, tam ordinariis quàm delegatis iuxta supra dispositа, & ordinata, & tam principalibus, quàm executiuis, & aliis quibuscunque, necnon ipsa eadem die qua pronunciarent in causis recursum, qui interponentur post diffinitiuam, vel quando diffinitiua non expectaretur, & in, de, & super omnibus, & singulis talium sententiarum, seu pronunciarum partibus, & circa omnes, & singulas partes tradere in manibus Notarii, qui de sententia, seu pronuncia rogabitur omnes causas rationes, ac iura, quibus moti fuerint ad sententiam, seu pronunciam, sic proferendã, & vt dicitur decisiones circa dictam causam, & sententiam, & pronunciam facere subscriptas manu cuiuslibet ipsorum, qui Notarius teneatur dictas Decisiones apponere, & alligare in libro iuxta ipsam sententiam, & pronunciam (quæ tamen Decisiones pro legibus non habeantur) & hoc sub pœna scutorum decem pro quolibet, qui prædicta respectiuè facere omitteret qualibet vice, applicanda pro dimidia parti contra quam sententia lata esset, pro alia dimidia Mag. Communi. Cum declaratione, quòd in sindicatu non possint eorum sententias aliis rationibus aut causis defendere, & substinere, nec possint aliæ rationes, causæ, aut defensiones per Iudicem, seu Iudices sindicantes attendi considerari, aut quomodocunque, & qualitercunque in eis fieri fundamentum, vt infra in capitulo de sindicatu, nisi quæ in huiusmodi Decisionibus appositæ, & expressæ fuerint.

De Termino instantiæ causarum ordinariarum Cap. 51.

IN omnibus causis ciuilibus ordinariis, comprehensis etiã causis sequestrorum, & caducitatum hiuellorum agitandis in curia Mag. Domini Auditoris Rotæ & Iudicis primarum instantiarum causarum ciuilium, a quacunque persona cuiusuis gradus, status, & conditionis existat, communiq;, collegio loco, & vniuersitate instantia sit in principali causa, vt infra videlicet,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

videlicet in causa minori sit triginta dierum vtilium tantum, quæ ptorogari posit per Iudicem per dies quinque, & per partes per alios quinque, in causis verò maioribus sit dierum xl. vtilium, quæ prorogari posit per Iudicem vsque in dies x. & per partes per alios decem dies vtiles tantum, & non vltra.

In appellationibus verò a sententia merè diffinitiua etiam lata in Vicariis, vbi specialiter aliud non sit expressum, sit dierum triginta vtilium quæ prorogari posit per partes per decem dies vtiles quandocunque, per Iudices autem prorogari per dies quinque.

In criminalibus verò instantia sit ea, quæ datur ex forma Statutorum, quæ in causis præfatis in suo robore remaneat, hoc tamen excepto, quod nec per partem, nec per Iudicem instantia in criminalibus prorogari posit.

Declarando etiam, quod licet vbi agitur vigore Statuti, de pœna turbantis possessionem, seu minantis inquilinos, causa intelligatur criminalis, tamen habere debeat, & habeat eandē instantiam, quam habent causæ ciuiles prædictæ respectiue in qualibet earum parte.

Et Notarii curiæ Fundaci teneantur etiam ipsi describere dies vtiles, & inutiles eorum Officialis iuxta formam Statuti lib. pri. cap. 12. & sub eadem pœna, de qua in dicto Statuto.

De Instan. appell. ab interlocutorijs habentib. vim diffinitiuæ. Cap. 52.

IN interlocutoriis verò habentibus vim diffinitiuæ etiã latis in Vicariis (a quibus datur appellatio, & nullitatis dictio) instantia dictarum appellationum, & nullitatis sit dierũ viginti vtilium, quam Iudices appellationis possint prorogare vsque in quinque dies vtiles, & non vltra post publicatum processum, neq; ad hoc requiratur præsentia, aut citatio partis, partes autem in quinque quandocunque.

Debeant etiam Iudices prædicti contra appellantem a pronuncia de præcepto, seu determino exequendo affirmatiua tantum, si in prædicta appellatione succumbat omnino executionem concedere vltra summam, siue interesse ipsius causæ in quarta parte prædicti interesse, & valoris loco pœnæ, ac etiã in expensis

inexpensis causæ, sine aliqua requisitione, ac ex officio sub pœna scutorum xxv. applicanda pro dimidia parti, & pro alia parte Mag. Communi.

Et in dictis causis possint fieri nouæ probationes, quæ tamẽ sint permissæ ex forma Statutorũ cap. 129. lib. 1. & cap. 18. lib. 5. & aliorũ statutorũ in suis casibus respectiuè, & nõ aliter aliàs, vltra, nec alio modo, & aliter factæ non valeant, & sint nullæ ipso iure. Possint insuper Iudices tempora, & dilationes quascunque in huiusmodi causis restringere, adeoq; intra tempus instantiæ terminentur.

De instantia executiuarum. Cap. 53.

NE causæ executiuæ protelentur sit ipsis in futurum appositus terminus, & instantia dierum xxv. vtilium, quo termino transacto instantia dictæ causæ sit peremptа, & actor in expensis condemnetur, & nihilominus prouisio Statuti ad excitandam possit intentari quandocunq; ante dictum terminum iuxta eius dispositionem, & incipiat instantia præfata die prima, qua partes in iudicio comparere debuissent, si a citatione fuerit incæptum, seu die datæ, & notificatæ fideiusionis, si incæptum fuerit ab executione, firma in aliis remanente dispositione Statutorum circa dictas causas disponente.

Et si peteretur pronunciari reum audiendum non esse, nisi præstito fideiussore de iudicio sisti, & iudicatum soluendo, qui obligatus per publicum instrumentum, Iudex teneatur expresse pronunciare infra quinque dies vtiles, sub pœna scutorũ x. pro dimidia parti, & pro alia dimidia Mag. Cõmuni applicanda, & si pronunciaretur audiendum esse, vel ad vlteriora procedendum, vel quid aliud simile, & æquipollens, procedatur in causa, & d. dies quinq; de instãtia non deducantur si verò aliter pronunciaretur, & post dictam pronunciã procederetur ad executionem, seu ad præceptum de soluendo, aut ostẽdẽdo de solutione, aut causam, quare nõ teneatur, vel de facto adimplendo, vel ad capturã propter nõ præstitã fideiusionẽ noua intelligatur instantia, & sit xxv. dierũ vtiliũ, pro ut supra, & incipiat a die præcepti facti, vel transmissi, & pronunciũ traditi, seu datæ, & intimatæ fideiusionis in suo casu.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І.МЕЧНИКОВА

Et instantia omnium dictarum causarum executiuarũ modo aliquo prorogari non valeat, nec per Iudicem, nec per partes videlicet in causis principalibus tantum, & terminus xv. dierum assignatus per formam Statuti intelligatur, & sit decẽ dierum tantum, & non vltra, nec alio modo prorogari possit, sed his transactis intelligatur ipso iure assignatum tempus ad reprobandum quinque dierum vtilium, & monitæ partes in forma, nec requiratur aliquo casu publicatio processus, sed lapsis terminis prædictis respectiuè possit, & debeat Notarius tradere cuilibet partium dicta testium in eis respectiuè examinatorum, prout si processus, & attestationes prædictæ fuissent publicatæ, & a pronuncia de audiendo vel nõ audiendo absq; fideiusione non possit appellari, sed solũ peti recursus iuxta formam præsentium Capitulorũ, ac per huiusmodi pronunciam non intelligatur præiudicatum meritis causæ.

Prædicta autem oppositio audiendum non esse fieri debeat in prima, vel secunda comparitione, & aliter non admittatur, & Iudex alias admittens puniatur in scutis decem, & tamen talis admissio nihil operetur.

In Vicariis aũt instantia dictarũ causarũ executiuarũ sit xxx. dierũ vtilium, & quãdo peteretur pronunciari reũ audiendũ non esse sine fideiussore, terminus sit octo dierũ vtilium, & talis oppositio possit fieri infra quatuor dies vtiles, a die primæ cõparitionis, & terminus xv. dierũ assignatus per formã Stat. habeat locũ: in reliquis aũt disposita in ppræsenti cap. etiam in dd. Vicariis obseruentur, singula singulis cõgruè referendo.

Quando, & ex quibus instantia suspendatur. Cap. 54.

FActa oppositione peremptionis instantiæ i quacũq; causa siue principali, siue appellationũ, Iudex, siue Iudices respectiuè teneantur infra tres dies vtiles diẽ d. oppositionis prox. sequentes d. articulũ decidisse, aut terminasse, sub pœna v.x. pro quolibet insorũ, & dicti tres dies, seu a tribus infra, quib. dicta quæstio fuerit pendens, & dies dictæ oppositionis de tẽpore instantiæ detrahantur pro vna tantũ vice, & nõ vltra, sed dictis tribus diebus elapsis siue d. quæstio fuerit terminata siue non instãtia currat, & decisio d. articuli reseruata intælligatur in diffinitiua.

In

In omnibus autem aliis casibus instantiæ, & termini probatorii, ac aliæ dilationes, tam in causis ordinariis, quam executiuis, & tam in causis principalibus, quàm appellationum; & in quolibet articulo incidenti, vel emergenti decurrant, nisi per Statuta, Capitula, & decreta, expressè & nominatim dispositum sit non decurrere.

Insuper quoniam in fraudem instantiæ sæpe compromissa fiunt, dispositum sit compromissa, tam de causa principali, quàm appellationis, post lapsum termini probatorii, seu publicationem processus in suo casu, & dierum x. proximæ sequentium instantiam non suspendere, sed illis non obstantib. instantiam decurrere perinde, ac si facta non essent.

De executione sententiarum. Cap, 55.

CAusæ executionum sententiarum iudicialium, & condemnationum siue interesse, & damnorum, & alterius cuiuscunque generis, tam in Ciuitate quàm in territorio Lucensi tractari, & agitari debeant secundum formam Statutorum coram suo Iudice primæ instantiæ non obstantibus Statutis in contrarium disponentibus.

Arbitralium verò, siue arbitramentalium, & laudorum quorumcunque, & alterius cuiuscunque generis coram suo Iudice, prout ad suam iurisdictionem pertinebit.

Cum declaratione, quòd in termino triumdierũ reo ad opponendum cõcesso vigore dictorum Statutorũ, debeat etiam per actorem ex parte sua deduci, & allegari quicquid vult, & potest, & ei ex forma iuris, & statutorum permissum est, quibus tribus diebus elapsis ipso iure, & ipso facto intelligatur, & sit assignatus terminus sex dierum vtilium ad probandum incumbentia hinc inde circa deducta allegata, & opposita in dictis tribus diebus, & non aliter, vltra, nec alio modo, & vltra prædicta nullatenus audiatur, tam actor, quàm reus, quo termino durante intelligantur, & sint monitæ ambæ partes pro singulis diebus, & horis, iuxta formam Statutorum, & Capitulorum ad videndum iurari testes, produci, & admitti Capitula, & probationes fieri in forma, quo termino sex dierum elapso, intelligatur, & sit publicatus processus, & dicta

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

testium in suo casu, & assignatus terminus quatuor dierum vtilium ad reprobandum in suo casu, quibus elapsis causæ præfatæ decedi, & terminari debeant per ludicem, infra octo dies vtiles tunc proximè, & immediatè sequentes, & prædicta procedant absque aliqua publicatione processus, quibus temporibus elapsis instantia intelligatur, & sit perempta, & actor in expensis condemnari debeat, & nihilominus ludex vltra damna, expensas, & interesse partis læsæ incidat in pœnam iuxta formam Statutorum, & Capitulorum Rotæ, & a pronunciis siue sententiis in huiusmodi causis latis, non possit appellari, qnærelari, aut supplicari, sed detur recursus secundum formam præsentium Capitulorum.

Declarando vlterius, quòd obligatus vigore talis pronunciæ, seu sententiæ in huiusmodi causis executionum latæ, quæ in rem iudicatam transierint teneatur, & obligatus sit parere præcisè, & cum effectu iudicato infra quindecim dies continuos, postquàm dicta pronuncia, siue sententia in rem transierit iudicatam, si de soluendo tractetur, si vero de facto implendo infra terminum arbitrio Iudicis declarandũ: quibus temporibus elapsis pronuncia, siue sententia præfata realiter & personaliter in suo casu exequatur, & procedatur contra obligatum iuxta formam Statutorum ad executionem realem vel personalem, & non possit vlterius audiri, nec aliquis alius terminus assignari, nec aliqua fideiussio admitti, non obstantibus in prædictis Statutis Mag. Lucensis Communis in contrarium disponentibus, quibus in hac parte intelligatur, & sit expressè derogatum.

Si vero in termino trium dierum suprascriptorum reus nõ comparuerit, seu comparuerit, & nil opposuerit, tunc, & eo casu procedatur contra eum ad executionem realem, & personalem iuxta formam Statutorum, quo casu captus, vel prædatus, & etiam quòd præueniendo executioni promiserit soluere, vel factum adimplere, & fideiussorem idoneum, & approbatum præstiterit vnum, vel plures de soluendo tantum, vel ostendendo de solutione, vel factum adimplendo, aut ostendendo de adimplemento tantum, tunc assignetur sibi tempus triginta dierum continuorum ad soluendum vel

vel ostendendum de solutione tantum, & arbitrio Iudicis ad factum implendum, vel ostendendum de implemento tantum, quod modo aliquo non possit prorogari, & eo lapso procedatur contra reum, & fideiussorem insolidum ad executionem realem, & personalem donec soluat, aut factum adimpleat, & vlterius non possit audiri, nec fideiussio aliqua præstari, non obstante statuto.

Et Mag. Dominus Prætor teneatur, & debeat, vbi specialiter per decreta & statuta non sit aliter prouisum, infra mensem a die petitæ executionis citata parte causas executionum sententiarum ab ipso latarum respectu damnorum expensarum, & interesse, ad instantiam alicuius ex pattibus tantũ, terminare per sententiam, a qua non detur appellatio, sed tantummodo recursus iuxta formam præsentium Capitulorum.

De Compromissis, *Cap.* 56.

QVòd si inter aliquos consortes eiusdem agnationis, seu progeniei, vel inter ascendentes, & descendentes, vel inter alios quoscunque agnatos, vel cognatos, coniunctos vsque ad quartum gradum inclusiuè secundum computum decretorum (dummodo affines non comprehendantur) aliqua lis causa, quæstio, controuersia verteretur de quibuscunque rebus, & seu quacunque occasione, si infra tres dies vtiles a die solutæ datiæ proximè numerandos in Ciuitate, & in Vicariis infra sex dies vtiles, aliquis ex prædictis litigatoribus, siue actor fuerit, siue reus, petierit huiusmodi quæstiones committi in arbitros, seu arbitratores, seu communes, & confidentes amicos intelligatur, & sit assignatus ipso iure terminus duorum dierum vtilium alteri parti ad opponẽdum in Ciuitate, & in Vicariis quatuor dierum vtilium, quibus transactis, si nihil fuerit oppositum, vlterius non audiatur, & deueniri debeat ad compromissum modo, & forma infrascriptis, si vero aliquid fuerit oppositum eodem modo intelligatur, & sit assignatus terminus sex dierum vtilium proximorũ in Ciuitate, & Vicariis octo dierum vtilium, vtrique parti ad probandum, & deducendum incumbentia, quibus elapsis similiter intelligatur, & sit assignatus terminus duo-

rum

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА
ЛОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

rum dierum in Ciuitate, & quatuor dierum, vtilium in territorio ad reprobandum, in quibus terminis respectiuè censeantur ipso iure monitæ partes ad videndum iurari, & recipi testes &c. iuxta formam Statuti, nec aliquo casu requiratur publicatio pro cessis, quibus temporibus respectiuè elapsis Iudex, seu Officialis teneatur causam expedire infra sex dies vtiles, pronunciando compromissum esse, vel non esse faciendum, sub pœna scutorum xxv. in quibus debeat iudicari, a qua sententia, seu pronuncia non possit per aliquam ex partibus appellari, quærelari, vel de nullitate dici, sed detur recursus iuxta formam, & modum traditum circa recursus ab interlocutoriis, quæ non expectant diffinitiuam post se; & per huiusmodi petitionem compromissi intelligatur, & sit suspensa instantia causæ principalis si aliquid fuerit oppositum, donec fuerit pronunciatũ, & pronunciã in rem iudicatam trãsierit, & si fuerit pronunciatum compromissum non esse faciendum, & talis pronuncia in rem iudicatam transierit, proceda tur in causa, & instantia non stet amplius in suspenso, si verò fuerit pronunciatum compromissum esse faciendum, & in re transierit iudicatam instantia sit finita, & deueniatur ad compromissum modo & forma infrascriptis.

Nam in omnibus casibus in quibus, vt supra ad compromissum deueniendum est, teneatur, & debeat Iudex. vel Officialis primæ instantiæ coram quo quæstio, seu lis, causa, vel cõtrouersia huiusmodi versa fuerit, iuramento præciso etiam ad instantiam cuiuslibet partis conuocare coram se dictos litigãtes, & ab eis quærere suspectos, & confidentes, quorum nomina tam suspectorum, quàm confidentium sigillatim in cædula descripta tradantur, & suspectorum numerus non possit esse vltra duodecim, quibus habitis teneatur ipse Iudex, seu Officialis eligere ipsa eadem die duos arbitros, seu arbitratores partibus non suspectos, & etiam possit vnum solum eligere, si partes de uno concordauerint, & compromissum exinde fiat cum pœna, & clausulis opportunis.

Et dictus Iudex, seu Officialis dictas partes omnibus iuris remediis compellat ad dictum compromissum faciendum.

Et pars, quæ bis monita, seu citata tam ad dandum suspectos

ctos, & confidentes modo prædicto, quàm ad compromissum faciendum fuerit contumax, ipse Iudex, seu Officialis teneatur, & debeat sub pœna scutorum xxv. applicandorũ pro dimidia, & pro dimidia Mag. Cõi vice, & nomine ipsius cõtumacis incõtinenti eligere arbitrum, seu arbitros, & compromissum facere, & etiam omnia alia, quæ per ipsam partem fieri deberent, & omnia sic gesta valeant, & teneant, & obligent perinde, ac si facta fuissent per ipsam partẽ dũmodo prædicta parti notificentur. Et coram arbitro, seu arbitris sic electis citetur ipsa pars semper, & quando citari contigerit.

Et compromisso facto compellat arbitros sic electos acceptare, & iurare, quod fideliter dictas causas, & lites audient, & terminabunt sine vlla personarum acceptatione, non attendendo ad munera, odium, vel amorem.

Et possit, & debeat etiam dictos arbitros vnum vel plures sic electos non acceptantes instante aliqua ex partibus, & præuia monitione infra duos dies vtiles condemnare in scutis cẽtum applicandis pro dimidia parti, & pro dimidia Mag. Cõmuni, & sic condemnatum, seu condemnatos teneatur, & debeat Notarius causæ transmittere ad Archiuium infra, & per totam diem proximè sequentem dictam condemnationem, si erit in Ciuitate, & infra tres dies proximos, si erit in territorio, sub pœna ipsi Iudici, seu Officiali non condemnanti, et Notario non transmittenti scutorum decem pro qualibet omissione, et pro quolibet eorum applicandorum, vt supra, et nihilominus deueniatur ad instantiam cuiuslibet partis ad electionem alterius arbitri loco illius, qui non acceptauerit modo, et forma prædictis, et sub eadem pœna.

Et D. Iudex vel alius Officialis non possit aliquem compellere acceptare, nisi prius salarium fuerit per eundem Iudicẽ taxatum & depositatum in curia, seu penes Notarium, & vna pars altera parte contumace, legitimè tamen citata, possit totũ salarium deponere, & tradam ab altera parte consequi, procedẽdo ad quamlibet executionem realem, & personalem iuxta formam Statutorũ, etiam incontinenti, quæ executio auctoritate præsentis statuti relaxata intelligatur & sit, pro labore dictorũ arbitrorũ, quod salarium dari debeat dictis arbitris illico

acceptatione

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

acceptationem secuta ipsis arbitris, aut aliquo ipsorum petente. Declarantes quod si quis esset arbiter electus ex dispositione Statuti in vna causa, non possit compelli ad aliud arbitrium acceptandum, nisi postquàm causa sibi commissa per sententiam, vel aliter terminata fuerit.

Et dicti arbitri, seu arbitratores sic electi auctoritate præsentis Statuti potestatem, & baliam habeant huiusmodi lites, & quæstiones audiendi, & cognoscendi omni petitione, & ordine, & figura iudicii, & aliis solemnitatibus iuris & statutorum ommissis, & non seruatis, & partibus absentibus, & non citatis, & quicquid per ipsos arbitros, seu arbitratores, vel per duos ex eis concordes, si ad electionem tertii, vt infra deuentum fuerit, vel per vnum tantum si in vna parte concordauerint, cognitum, decisum, & terminatum fuerit, valeat & teneat, ac si per ipsas partes in concordia factum fuisset, & sic partes obseruare teneantur, & contra non venire, sub pœna scutorum centum vltra alias pœnas, de quibus in compromisso applicandorum, vt supra, sententia, siue laudo nihilominus rato manente. Et ab ipsa sententia, siue laudo nequeat appellari, supplicari, de nullitate dici, vel querela moueri, reductio ad arbitrium boni viri peti, seu ad aliquem Iudicem contra eam recursus haberi, sed teneatur, & debeat quilibet Iudex, seu Officialis prout ad suã iurisdictionem pertinebit, omni strepitu, & appellatione, & qualibet exceptione, & petitione cessantibus executioni mandare, & mãdari facere huiusmodi sententiam, seu laudum, & condemnare delinquentem, & inobedientem, alioquin ipse Officialis, & Iudex in scutis centum puniatur, in quibus debeat sindicari applicanda vt supra.

Et teneatur, & debeat dictos arbitros, vt supra, compellere ad proferendum sententiam, siue laudum super huiusmodi litibus, & quæstionibus decisiuum totius quæstionis compromissæ, & omnino finem liti, & quæstioni imponentem, siue imponens infra duos menses a die acceptationis proximè numerandos, vel infra terminũ in compromisso a partibus appositũ, quem terminum possit ipse Iudex, vel Officialis prorogare vsq; in vnum alium mensem in vna vice vel pluribus.

Verum

Verum si infra dictum terminum, vel saltim infra tempora prorogata præfati arbitri, seu arbitratores sententiã, siue laudum, vt supra, nõ protulerint, Iudex seu Officialis instante aliqua ex partibus teneatur, & debeat eos, & quemlibet eorũ condemnare in scutis centum applicãdis, vt supra, infra tres dies vtiles, postquàm fuerit requisitus, & Notarius eos sic condemnatos transmittere ad Archiuium modo, & forma, & temporibus, sub pœnis, de quibus supra dictum est.

Et in eandem pœnam incidant, & eodem modo contra eos procedatur, si dixerint sibi de causa non liquere, vel si saltem duo ex eis si ad electionem tertii fuerit deuentum, vt infra, concorditer non sententiauerint.

Verum si per partes remanserit quominus quæstio terminaretur, teneatur Iudex, & Officialis partem, per quam remaneret compellere iuris remediis ad producendum, & allegandũ sua iura, & possit propterea inobedientem punire de facto, & absq; aliquo processu, vel scriptura in libris xxv. vel vltra vsq; in libris cc. ad eius arbitrium facti, & personæ qualitate pensata, applicandis, vt supra, & nihilominus possit & debeat instãte parte procedi, & sententiari etiam in contumaciam alicuius partis, legitimè tamen citatæ, si & quando citari contigerit perinde, ac si contumax non fuerit.

Et si dicti arbitri, seu arbitratores nõ fuerint in concordia, & hoc fuerit Iudici vel officiali per vnũ ex litigatorib. vel per vnum ex arbitris, seu arbitratorib. notificatũ, tertius eligatur per Iudicem, vel officialem habitis suspectis, & confidentibus ab vtraque parte, vt supra dictum est. Et omnia, quæ supra dicta sunt circa electionem arbitrorum habeant locum, & censeantur dispositа in electione huius tertii.

Hoc tamen addito, q̃ habitis per Iudicem, seu officialẽ bis cædulis suspectorũ, & confidentium modo, & forma præmissis, si in eis non erit descriptus aliquis, qui sit confidens ambarũ partiũ, ipse Iudex, seu officialis teneatur & debeat incõtinẽti vnũ eligere eius arbitrio extra numerũ confidentiũ, & suspectorũ vtriusq; partis, sub prædictis pœnis, & sic electus d. forma seruata, acceptare, iurare, & sententiare cogatur, & puniatur & in omnib. & per oĩa procedatur vt supra de aliis dictũ est.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І.І. МЕЧНИКОВА

Et tempora compromissi, vel prorogationum a die qua partes coram Iudice comparerent, aut comparere deberent, pro electione tertii vsque ad diem acceptationis ipsius tertii suspendantur, immo si die dictæ acceptationis de dictis temporibus non supereſſent dies quindecim, tot diebus, quot deeſſent, ipsum compromissum, & eius tempora authoritate præsentis statuti prorogatum, & prorogata esse intelligantur & sint. Et a præceptis processibus, & grauaminibus, quæ occasione omnium prædictorum inferent, non possit appellari, supplicari, vel quærela moueri, vel ad aliquem Iudicem contra prædicta recursus haberi.

Et hæc omnia in præsenti Statuto contenta obseruari disponimus in causis principalibus, si intra tres dies vtiles, seu sex in suo casu, vt supra dictum est, fuerit petita commissio, quibus elapsis partes non possint compelli ad dictam cõmissionem. In causis autem appellationum dicta commissio fieri non possit.

Et prædicta omnia & singula, vel aliquod eorum non vendicent sibi locum in rebus finitis, vel in quæstionibus, siue controuersiis, seu causis in iudicio, vel extra per iudicialem sententiam, vel per laudum, siue transactionem, seu pactum vel per iuramentum, vel aliter quomodocunque finitis, seu terminatis, sed quod finitum, & terminatũ fuerit plenum robur obtineat.

Ac etiam disponimus, quòd prædicta commissio, seu arbitrorum electio locum non habeat in casu, in quo de obligatione quacunque cuiuscunque speciei appareat publicum instrumentum, ex quacunque causa factum, vel scriptura priuata manu propria debitoris, vel etiam si appareat scriptura priuata manu tertiæ personæ cum subscriptione trium testiũ de consensu debitoris subscribentium, & similiter cesset huius Statuti dispositio, & compromissi petitio, vbicunque peteretur legatum, vel relictum in vltima voluntate, de qua appareat publicum Instrumentum.

Item declaramus, quòd vltra tempora suprascripta possint partes prorogare tempora compromissi, dummodo in totum annum non excedant.

Declarantes

Declarantes, q̃ deinceps non possit corã aliquo Iudice Lucen. Ciuitatis, seu comitatus, aut districtus opponi, excipi seu peti, quòd fiat compromissum, an fieri debeat cõpromissum, & si dicta oppositio, exceptio, siue petitio fieret, nõ valeat ipso iure, nec possit, aut debeat in aliquo casu per iudicem admitti sub pœna scutorum centum ipsi Iudici infligenda in eius sindicatu, & applicanda, vt supra, & omnis stilus aut consuetudo in contrarium introducta intelligatur omnino sublata non obstantib. quibuscunq; dictis, siue opinionib. doctorũ, aut legib.

Cum declaratione, q̃ in omnibus prædictis casibus dicti arbitri possint infra tempora compromissi, seu prorogationũ suam sententiam declarare, corrigere, & emendare, prout eis videbitur pro bono partium, si hoc sibi expresse reseruauerit in prolatione sententiæ. Et semper intelligatur d. sententiam, seu laudum in iudicatum transiisse post decem dies cõtinuos a die intimationis factæ secundũ formã Statuti lib. 1. cap. 152.

Et prædicta omnia & singula locum etiam habeant & obseruẽtur in causis, & casibus, de quibus in Stat. lib. 1. c. 147. 149. & cap. 153. quatenus, & in quantum adaptari possint, excepto tamen quod in dictis causis, & casibus, de quibus in cap. 147. & 149. a sententiis siue laudis ferendis detur reductio ad arbitrium boni viri, iuxta tamen modum, & formam de qua in capitulo de reductione:

Et prædicta omnia censeantur dispositа & ordinata, vt supra, tam in Ciuitate, quàm in territorio respectiuè, singula singulis congruè referendo, non obstantibus Statutis, aut decretis incontrarium facientibus, quibus expressè derogatum intelligatur, & sit, & sic vt supra censeatur, & sit reformatum capitulum 146. libro primo Statutorum.

Et omnia, & singula, quæ supra dicta sunt circa electionem arbitrorum, & acceptationem, & laudum, seu sententiam proferendam, & reductionis petitionem in suo casu respectiuè, & circa pœnas, & condemnationes, habeant etiam locum, & obseruentur in casibus in quibus periti, aut aliæ personæ essent eligendæ, tam ex partium conuentione, quàm ex Statutis vel ex sententia, seu Iudicis præcepto, & aliter quomodocunque.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА
ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

De petenda sententiam arbitralem redigi ad arb. bo. viri. Cap. 57.

TRiplex forma eligendi arbitros, seu arbitratores traditur a Statutis, & primo quidem præmittitur vnũ genus arbitrorum, seu arbitratorum eligendorum super quæstionib. vertentibus inter consortes, & coniunctos, in quo genere cõnumerãtur & cõprehendũntur etiam arbitri, seu arbitratores electi inter virũ & vxorẽ, de quibus in Statuto cap. 153. lib. 1. & ibi dictum est, & nunc etiam confirmamus ab eorũ sententia non possit appellari, supplicari, vel quærela nullitatis moueri, vel peti reductio ad arbitriũ boni viri, vel ad aliquem iudicem contra eã recursus haberi, & ad ipsos arbitros, seu arbitratores inter consortes, & coniunctos, & inter virũ, & vxorẽ electos, & ad eorũ laudum, contenta infra, & in præsenti cap. nullatenus referãtur. Est, & secundũ genus arbitrorũ, seu arbitratorũ, qui eligi debent secundũ formam cap. posiũ sub Rub. de causis, & quæstionib. ad petitionẽ rei cõuenti &c. & ab istorum sententia, siue laudo permissum est reductionẽ peti posse.

Est, & tertiũ genus arbitrorũ, seu arbitratorũ, de quibus fit mentio in Statuto sub Rub. de compromissis a partibus extra iudicium &c. & ab istorum sententia siue laudo etiam reductionem peti posse permissum est.

Nunc verò consequenter tractandum restat, de ipsa petitione reductionis, ideo statuimus, quod a sententiis seu arbitramentis dictorũ arbitrorum secundi & tertii generis, possit reductio ad arbitrium boni viri peti, infra x. dies contiuuos a die intimationis computandos, alias elapsis dictis x. diebus, & reductione non petita, prima sententia firma, & illibata permaneat, & in rem transeat iudicatam, & de eius iniquitate, vel iniustitia quæri non possit.

Et considerantes, quòd arbitri seu arbitratores frequenter consueuerunt secundum cõscientiam iudicare, propter quod eorum arbitratio posset faciliter impugnari, quæ tamen æquitati posset esse cõsentanea, quámuis a rigore iuris discreparet per quod de iustitia vel iniustitia magis cognosci posset ab aliis arbitris, seu arbitratoribus, quàm a ludice, qui æquitatem non scriptam faciliter sequi non potest. Ideo statuims, quod facta

facta per actorem solutione datiæ secundum formã Statutorũ in causis principalibus, ludex, coram quo ab aliqua sententia arbitrali reductio peteretur, si infra tres dies vtiles, postquàm fuerit soluta datia, ab aliquo litigatorũ fuerit requisitus de cõpromisso faciendo, teneatur, & debeat etiam ad instantiam cuiuslibet partis, conuocare coram se dictos litigantes, & ab eos querere suspectos, & confidentes, & procedatur ad electionem arbitrorum, & ad sententiam, modo, & forma pro vt supra dispositum, & ordinatum est in electione aliorum arbitrorum, seu arbitratorum in capitulo de quæstionibus verten-tibus inter consortes, & omnia ibi disposita & ordinata circa electiones tam arbitrorum primorum, quàm tertii in suo casu, acceptationem, authoritatem, & procedendi formam, & sententian di modũ, cõprehensis etiã mulctis, cõdemnationib. & pœnis, habeant locum, & obseruentur in hoc casu, quæ oía hic posita, & repetita censeantur. Et per electionem arbitrorũ instant a causæ dictæ reductionis censeatur finita.

Et si infra tempora sibi præstituta, arbitri sic electi sententiã siue laudum non protulerint, rata remaneat prima sententia, a qua reductio petita fuit, & in rem transeat iudicatam, & nihil ominus quilibet ipsorum arbitrorum, seu arbitratorum, vltra pœnas suprascriptas teneatur ad damna, expensas, & interesse cuilibet parti.

Et si laudum latum per dictos duos arbitros, seu arbitratores, vel vnum, quando de vno solo eligendo partes concordes fuerint authoritate præsentis Statuti electos, vel per ipsum tertium, vna cum duobus arbitris, vel vnum ex eis tacitè, vel ex presse fuerit pro parte, vel in totum cõfirmatorium primi laudi, a quo reductio petita fuerit, tacitè, vt puta, quia pronunciatum fuerit reductionem petitam non esse concedendam, vel quia lapsum fuisset tempus petendæ reductionis, vel ex quauis alia causa, quæ sibi iusta videretur, valeat, & teneat in partibus confirmatis, ac si per partes in concordia factum foret.

Et ab ipso laudo confirmatorio, vel ab ipso confirmato, seu a partibus confirmatis nequeat appellari, supplicari, vel quærela nullitatis moueri, vel reductio peti, vel cõtra illud ad aliquem iudicem recursus haberi.

Sed

Sed teneatur quilibet Iudex, prout ad ſuam iuriſdictionem pertinuerit, omni ſtrepitu, & appellatione & petitione ceſſanti bus, executioni mandare, & mandari facere huiuſmodi laudũ confirmatorium, ſeu confirmatũ, aut in partibus cõfirmatis.

Et ſi quis a dicto laudo confirmatorio, vel confirmato, vel a partibus confirmatis appellauerit, vel reductionem intentauerit, vel alio modo contra dictum laudum, quærelam nullitatis expoſuerit, puniatur in ſcutis cẽtum de facto ſine proceſſu, vel ſcriptura per Iudicem, coram quo prædicta attentata fuerint, applicandis pro dimidia parti, & pro dimidia Mag. Cõmuni, & pro ſic condemnato debeat per Notarium cauſæ tranſmitti ad Archiuium per totam diem ſequentem d. condemnationem, ſi fuerit in Ciuitate, & infra tres dies proximos ſi fuerit in territorio, & nihilominus laudum ratũ remaneat, & executioni omnino mandetur, & Iudex prædictus prædicto modo contrafacientẽ punire teneatur, ſub pœna ſcutorũ quinquaginta applicandorũ vt ſupra, in quibus debeat ſindicari.

Si vero dictum laudum fuerit infirmatorium primi laudi in totũ vel pro parte, ſeu reformatorii, permittimus authoritate præſentis Statuti a tali ſecundo laudo infirmatorio, ſeu reformatorio, ſeu a partibus infirmatis, aut reformatis reductionem peti poſſe, modo, forma, & temporibus prædictis.

Et ſuper huiuſmodi reductione ad petitionem alicuius ex partibus teneatur Iudex, corã quo talis reductio petita fuerit partes coram ſe conuocare, & ab eis querere ſuſpectos, & confidentes pro compromiſſo de nouo faciẽdo in omnibus, & per omnia, prout ſupra dictum eſt.

Et omnia, & ſingula, quæ ſupra in alia reductione dicta, & diſpoſita ſunt, comprehenſis etiam pœnis, condemnationi bus, & mulctis, debeant etiam hoc caſu ſeruari, & hic pro repetitis habeantur. Et quicquid per iſtos tertios arbitros huius ſecundæ reductionis concordes, ſiue per duos ex eis, ſi ad electionem tertii deuentum fuerit, ſiue ſit confirmatorium tacitè, vel expreſſè, vel infirmatorium, vel reformatorium primi laudi, vel ſecundi, ſiue in totum, vel pro parte, valeat, & teneat, & procedatur ad executionem modo, & forma, prout dictum eſt de ſecundo laudo confirmatorio primi, & omnia ibi dicta

dicta, & diſpoſita, comprehenſis etiam pœnis condemnationibus, & mulctis, habeant locũ, & ſeruentur in hoc caſu, & hic pro repetitis, habeãtur, & a præceptis proceſsibus & grauaminibus, quæ occaſione omnium prædictorum fierent, nõ poſsit appellari, quærelari, ſupplicari, vel quærela nullitatis moueri, niſi in caſibus ſupra declaratis.

Si verò Iudex, coram quo aliqua reductio in omnibus prædictis caſibus ab aliqua ſententia, ſeu laudo arbitrali, ſeu arbitramẽtali peteretur, vt ſupra, nõ fuerit requiſitus, modo, & forma, & temporibus prædictis, de compromiſſo faciendo, tenea tur, & debeat ipſe Iudex ſuper dicta reductione cognoſcere, & terminare infra xxv. dies vtiles a die primæ cõparitionis, qui nullo modo, neq; per Iudicem, neq; per partes prorogari poſſint: quibus elapſis inſtantia ſit perempta, & actor in expenſis condemnetur, & nihilominus ipſe Iudex incidat in pœnam v. quinquaginta auri, applicandorũ pro dimidia parti, & pro dimidia Mag. Cõi, & ad omnia damna expenſas, & intereſſe cuiuslibet partis, & prima ſententia, ſeu laudũ a quo fuerit petita reductio, in rem tranſeat iudicatã, & executioni mandetur.

Et a ſententia ipſius Iudicis non poſsit appellari, quærelari, aut de nullitate dici, aut ad aliquem Iudicẽ recurſus, haberi, ſi fuerit confirmatoria primi laudi in totũ vel pro parte, a partibus cõfirmatis, ſi vero infirmatoria in totum, vel pro parte, ſeu reformatoria, detur recurſus a partibus infirmatis, ſeu reformatis, modo, & forma prout dictum, & diſpoſitũ eſt de interlocutoriis, quæ diffinitiuam poſt ſe non expectant.

Declaramus etiã, q; reductio nullo modo peti poſsit ab aliqua ſententia arbitrali, ſeu laudo dato, cuius grauamen non excederet quantitatem, vel intereſſe Flor. xxv. nec talis ſententia, ſiue laudũ per viam nullitatis, vel alio modo infringi, vel annullari poſsit, nec contra eam ad aliquem Iudicem recurſus haberi. Et ita vt ſupra dictum eſt, intelligatur, & ſit reformatum Statutum lib. primo, cap. 151.

Et prædicta omnia cenſeantur diſpoſita & ordinata, vt ſupra, tam in Ciuitate, quàm in territorio ſingula ſingulis congruè referendo, non obſtantib. Statutis aut decretis incontrariũ facientibus, quibus expreſſè derogatũ intelligatur, & ſit.

Et

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

Et omnia, & singula, quæ supra dicta sunt, cõprehensis etiã pœnis, & cõdemnationibus, & mulctis habeant locũ, & obseruentur respectiuè, singula singulis congruè referẽdo, in casib. in quibus periti, aut aliæ personæ essent eligendæ, tã ex partiũ conuentione, quàm ex Statutis vel sententia, seu Iudicis præcepto, & aliter quomodocunque, non obstantibus &c.

Mag. DD. Iudices, finito officio in Palatio non habitent. Cap. 58.

FInito Officio Mag. D. Prætor, & alii Iudices prædicti, & quilibet eorũ ipsa die depositi officii, teneantur, & debeãt Palatium, & domus, in quibus eorum Magistratũ, & officium exercuissent, liberum & expeditũ, & liberas & expeditas omni no relaxasse, nec in eo, aut eis, vel aliqua earum parte, vel particula vlterius habitare possint, sub pœna scutorũ xxv. auri.

Curiæ non sedeant tempore sindicatus. Cap. 59.

DVrante tempore sindicatus prædictorum Dominorũ Iudicum, & cuiuslibet eorũ, nulla curia in Ciuitate Lucẽsi sedeat, sed in ipsis, & qualibet earum intelligantur, & sint in dictæ feriæ repentinæ, & oĩa, & singula procedãt, quæ propter ferias repentinas tã de iure, quàm ex forma Statut. disponũtur.

De Sindicatib. & de Aduocatis, & Procuratorib. eligendis Cap. 60.

QVoniam, sicut infra disponitur, tã Mag. D. Prætor, quàm omnes, & singuli alii Iudices finito officio sindicari debent, ne talis dispositio reddatur eluſoria, sed sindicatus prædicti, quatenus fieri potest, debitum operentur effectum, Mag. Domini Antiani teneãtur, sub pœna periurii, saltem per octo dies ante dimissum officium prædictorum Iudicum (ita tamẽ vt vltra tempus xv. dierum non præueniant) eligere, ac deputare Aduocatos, & Procuratores, descriptos í collegio Iudicũ & Notariorum, dictorũ sindicatuũ, duos videlicet sindicatus Mag. D. Prætoris vnũ sindicatus D. Auditoris, & Iudicis primarũ instantiarũ, alium sindicatus trium Mag. DD. Iudicum Rotæ appellationum, cum declaratione, quòd pro sindicatu Mag. D. Prætoris nõ possint eligi Aduocati, seu Procuratores qui tempore eius Magistratus officiũ fiscalis quomodocunq; per

per tempus duorum mensium in ciuitate Lucensi exercuerint, & qui non sint descripti in libro matriculæ Doctorũ & Notariorũ Et Aduocati, & Procuratores, vt supra eligendi, teneantur, & debeant in sindicatib. prædictis respectiuè partes Mag. Communis, & cameræ Fiscalis substinere, eiusque iura fideliter prosequi, ac etiam causas priuatorum quorũcunque qui eorum, aut alicuius eorum opera vti velint, oblata competenti mercede, agere, suscipere, ac diligenter tueri, sub pœna scutorum quinquaginta pro quolibet, & quacunque contrauentione.

Finito autem sindicatu consequantur de publico, vltra prædicta, salarium per Mag. Dominos Antianos eorum arbitrio taxandum.

Et insuper sint, & esse intelligantur participes in sexta, & pro sexta parte omnium pœnarum, in quibus Iudices respectiuè, respectu partium applicatarum Mag. Communi, seu cameræ fiscali condemnati fuerint, & quæ fuerint exactæ.

Teneantur etiam Mag. DD. Antiani per biduũ saltem ante finem officii prædictorũ Iudicum (dũmodo sex dierum spatiũ nõ excedat) eligere duos ciues assistentes secundum formam Statuti de regimine, qui continuè assistant, & assistere teneantur, quando Domini Iudices sindicantes sedent, sub pœna medii scuti pro quolibet, & qualibet vice, & Notarius causæ punctare teneatur non assistentem cum effectu, qui tamen assistentes nullum votum habeant, sed habeant curam ne iniuria aliqua, aut facto, aut quomodocunque inferatur contra Iudices sindicãdos, aut contra partem quærelantem, aut in dicto loco sindicatus, aut quando Iudex pro sindicatibus sedit, committatur aliquod inhonestum, aut turpe, aut verba minatoria proferantur per aliquam personam quomodocunque, aut qualitercunque.

Die vero prima depositi officii ipsorũ Dominorũ Iudicũ ipsi Mag. Domini Antiani præconium publicè mittant, quod quicunq; quærelam exponere, seu petitionem proponere voluerit contra dictos Iudices, aut aliquem eorũ, hoc facere debeat infra, & per duos dies prox. sequentes, & quòd eadem die inquisitio generalis formabitur.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. МЕЧНИКОВА

De modo iudicandi,

Cap. 61

MAg. D. Prætor cum ſuis officialibus & familia, & Iudices Rotæ tam primæ inſtantiæ, quàm appellationũ, qui deponerent officiũ, & quilibet eorum, qui deponeret officiũ finito eorum officio debeant ſindicari a Dominis Iudicibus Rotæ appellationum Lucenſis Ciuitatis nouiter electæ, & ſi D. Prætor officium deponeret officio Dominorũ Iudicum Rotæ pendente, debeat d. D. Prætor ſindicari a D. Prætore nouiter electo, qui de proximo Magiſtratum ingredietur.

Qui omnes Iudices ſtare debeant ad ſindicatum xv. diebus continuis incipiendis die formatæ generalis inquiſitionis cõtra eos, intra tres primos quorum banna, petitiones, & qnærelæ fieri poſsint, computata prima die lati banni, & tranſacto d. termino aliquis poſtea amplius non audiatur, & iuxta reliquũ tempus proceſſus, & ſententiæ terminentur per dictos Dominos Iudices Rotæ appellationum, & D. Prætorem in ſuo caſu, in quibus ſententiis ferendis, & qualibet earũ teneantur, & debeant d. Domini Iudices ſindicantes exprimere cauſas particulares, quibus moti fuerint ad ſic condemnandũ vel abſoluendum, ſub pœna ſcutorũ xxv. dictis DD. Iudicibus Rotæ, & cuilibet eorum, & d. D. Prætori in ſuo caſu infligenda per Mag. DD. Antianos, & vlterius dicti Domini Iudices ſindicantes abſoluto ſindicatu, infra octo dies tunc proximè, & immediate ſequẽtes, omnino teneantur relationem facere Mag. Dominis Antianis, in qua ſolum exprimant ſummariè factũ ſententiam, & ſententias reſpectiuè in huiuſmodi cauſis ſindicatuum latam, & latas ſuper quærelis porrectis, & qualibet ipſarum, & cauſas particulares, quibus moti fuerint ad ſic ſententiandũ, ſub pœna de qua ſupra, quam relationem Mag. Domini Antiani, ſub vinculo iuramenti teneantur & debeant legi facere in proximo, & tunc immediate ſequenti Mag. Conſilio Generali, a quorum Iudicum Rotæ ſindicatuum ſiue duorum ex eis concordium, ſiue Domini Prætoris in ſuo caſu, ſententiis proceſsibus, vel grauaminib. quibuſcunq; omnis priorſus appellatio, quærela, nullitatis dictio, vel recurſus tollatur, & prohibeatur omnino, reſeruato tamen iure partibus agendi contra

contra Iudicem ſindicantem in ſindicatu ſuo, de iniuſtitia in ſibi in iudicando aſſerentibus facta, in cæteris vero modus, & forma in talibus ſindicatibus, obſeruanda ſint ea, quæ dantur per Statuta Lucenſis Ciuitatis, quæ in omnibus, & per omnia quatenus hic adaptari poſsint pro repetitis habeantur, & obſeruentur. Et ſupraſcripti omnes officiales ſindicari debeant de omnibus, & ſingulis, prout in Statuto 28. & 31. lib. 5. Statutorum continentur, abrogata omni interpretatione ex conſuetudine, vel ſtilo d. Statutorũ, & quicquid per ipſos aut eorũ familias factum, & cõmiſſum fuerit iniuſtè, & indebite, etiã quod ratione offici diceretur factum, ita quod quælibet perſona indebitè & iniuſtè offenſa, & grauata, poſsit contra eos, & eorũ quemlibet agere actione iniuriarum, & aliis actionibus; & ſi per dolum vel imperitiam male, iniuſtè, ſeu nulliter iudicauerint, teneantur ad intereſſe parti, prout iura cõmunia volunt, & ad hoc vt teneantur non requiratur dolus, ſed ſatis ſit malè iniuſtè, ſeu nulliter iudicaſſe per imprudentiam, vel quomodocunque.

Cum declaratione, quod vbi exponeretur contra aliquem, ex prædictis, quod malè nulliter, ſeu iniuſtè iudicauerit ad defendendam, ſeu impugnandam ſententiam, ſeu pronunciam ipſius, nihil per partes deduci, allegari aut probari poſsit per quodcunque genus probationis, neq; per Iudices ſindicantes recipi aut admitti, vel aliqualiter attendi, quod in actis cauſæ, & iudicii, in quo, & qua talis Iudex, vt ſupra iudicaſſe dicere tur, dictum, deductum, allegatum, & probatum non fuerit: ſed omnino, & præciſè circa præcedentia Iudices ſindicantes iudicare teneantur, ſecundum acta, probata, deducta, & allegata ſpecificè, & expreſſè in dicta cauſa, & iudicio coram ipſo Iudice, contra quem quærela moueretur, ſeu petitio fieret, & de quibus ex actis, & in actis d. cauſæ ſpecificè appareat, non tollendo tamen quin poſsint fieri aliæ probationes neceſſariæ, quæ iuſtitiam vel iniuſtitiam, ac nullitatem talis ſententiæ, ſeu pronunciæ non reſpicerent.

Et ſi forte acciderct vt tempore depoſitionis officiorum D. Prætoris vel alicuius dictorũ Iudicũ Rotæ, deficeret aliquis ex dictis Dominis Iudicibus Rotæ appellationũ ſindicantib. aut propter